This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



Lc 46.89

Harvard College Library

FROM THE

SALISBURY FUND

Given in 1858 by STEPHEN SALISBURY, of Worcester, Mass. (Class of 1817), for "the purchase of books in the Greek and Latin languages, and books in other languages illustrating Greek and Latin books."

Lc 46.89

LUDOVICI CERRATO

ANIMADVERSIONES CRITICAE

IN

CL. CLAUDIANI POEMA

DE RAPTU PROSERPINAE

AUGUSTAE TAURINORUM

EX OFFICINA VINCENTII BONA

AN. M.DCCC.LXXXII

ANIMADVERSIONES CRITICAE

gressi sunt, summa gratia atque amoenitate perfuderint, vel durum agrorum cultum poetica veste induentes, divinum quasi quoddam munus exhibuere. Hoc enim erat in fatis ut Ceres, omnibus terris pererratis ut filiam a Plutone raptam reperiret, tandem compos voti, ac pacta cum Plutone et Iove Proserpinam apud se sex mensibus in coelo fore, ceteris autem apud Infernum coniugem mansuram (1), prima glebam dimoveret aratro, frugibusque una cum legibus homines impertiret. Incredibile quidem est memoratu quantum hic mythus, quo semen prius terra conditum, postea vero, incremento et maturitate susceptis, luci redditum (2) avidoque colono, adumbratur, in deliciis hominibus fuerit, qui memoriam divinae huius institutionis ritu solemni diu prosecuti ad longinquiores aetate provexere (3); mirari quoque subest, quanta poetarum copia hanc pertractaverit fabulam, in qua λαμπαδηφορία, sive facum gestatio, Ceres, Proserpina, Pluto, Iupiter, Triptolemus, Hecate, Iacchus Eleusis, (4) uberrimam carminum segetem suppeditabant. Scilicet litterarum historiam pervolventi tibi statim occurrit Pamphus, qui, Pausania auctore (5) antiquissimos hymnos Atheniensibus panxit; deinde Homericus poeta, in hymno ad Cererem; mox Orphici vates; itemque Melanippides, Choerilus, Aeschylus, Sophocles, Euripides. Si Atticae fines autem praetergrediaris, ubicumque Cereris et Proserpinae cultus floruit, alios nonnullos reperias, ut Lasum, Pyndarum et Bacchylidem; Alexandriae vero Callimachum et Nicandrum, quibus Ovidius quidem innixus mythum in

---

(1) Ad temporis divisionem quod attinet, hoc est tenendum, antiquiorem fabulam atticam semper octo menses Proserpinae apud matrem degenti tribuisse; posteriorem vero, jam inde ab Hygini temporibus constanter dimidium annum. V. *Förster*, op. cit., p. 70.

(2) Hanc porro allegoricam seminis in terra reconditi significationem mythum apud eosdem Graecos habuisse, auctor est *Arnobius*, de hoc festo agens V, 183. Cfr. scitam nostrae fabulae significationem in edit. Cl. Claudiani De Rapt. Proserp. Nurnberg. 1518.

(3) Tradit *Tertullianus* ad nat. II, hanc fabulam Romae in scena actam fuisse.

(4) V. quae de Eleusi Claudianea adnotavit *Fried. Gottl. Welcker*, Zeitschrift für Geschichte und. Auslegung der alten Kunst. Göttingen 1818, I, p. 118.

(5) VII, 21, 9; IX, 29, 8.

Latium intulit. Tum universi, paene dixerim, poetae, quos aetas Augustaea atque insequentia tulere saecula, cernas pro re nata mentionem huius fabulae iniecisse; quod autem ad artifices, marmore, nummis, gemmis, cippis, sarcophagis, vasis, operibusque musivis decertasse, ut eam effingerent, quasi eius oblivionem apud posteros vererentur. Postremus in huiuscemodi poetarum certamen Claudianus devenit, post quem Cereris et Proserpinae fortunae scholiastibus tantum atque mythographis commissae fere obmutuerunt.

Hanc igitur Noster materiam epico carmine adstringere conatus est, quippe quae artis illius historiam complectebatur, unde ortum duxere humanitatis simul vitaeque politioris, semina et tanti momenti erat, ut Nostri adhuc aetate in admirationem rapere animum potuisset (1). Neque is ero, qui Claudianum arguam quod poematis argumentum haud recte sibi sumpserit; luculente enim ab hoc crimine, quo a Walchio (2) petitur, Koenigius (3) eum vindicavit; mihi potius videtur Noster reprehendendus quod negligentius ad inceptum sese transferrens, offenderit in limine primo. Qui dum totus sit, ut epicum poema conflet, omnia sana praecepta, quae apud Horatium mirari consuevimus, licentius perturbat; incipit elatius quam par sit, uti cyclicus ille scriptor; claudicat in invocatione, absona ac mihi quidem superflua. Illic enim non erat locus, quippe furor, quo concitum se se exhibet Noster, quum simulat se Eleusiniis mysteriis interesse, antea invocandus quam concipiendus erat (4). Postremo in narratione ipsa vitiis scatet (v. 32 sq.), non solum quia ab ovo orditur, sed etiam quod in causa totius actionis invenienda non satis ingeniosum se praestitit.

---

(1) Non aliter de hac re sensit *Crusius*, tom. II, 120: « However the subiect as being a most celebrated story in the heathen Mythology, could not but be entertainig so the reader of that time ».

(2) Op. cit., p. 41 sq.

(3) *Georgius Ludovicus Koenig*, Cl. Claud. opera, Gottingae 1808, I, p. 45 sq.

(4) V. quae contra *Warburton*, definientem suo quidem iudicio deprecationem hanc esse, non autem invocationem, disputavit *Mérian*, Discours sur le poète Claudien, dans l'hist. de l'Acad. Royale des sciences et belles-lettres, année 1764. Berlin 1766, p. 476.

Plutonem nempe bello a Iove fratre coniugem sibi expetentem pronum est prospicere, quamcumque ei Saturnius in matrimonium dedisset, ea facile acquieturum. Quid igitur nobis cum Proserpina? quae, nisi iampridem nobis mythus innotesceret, longius profecto atque artificiosius arcessita videretur. Longe sane felicius Ovidius, qui Alexandrinos scriptores imitatus, Proserpinae raptum amoris quidem causa contigisse et ipse auctor est, Plutonem tamen exhibet Typhoei motibus territum, ac dum tenebrosa sede egressus Siculam terram explorat, a Cupidine ictum, Proserpinae obversari, quae

Paene simul visa est, dilectaque raptaque Diti (1),

adeo ut lectorem illico in medias res rapiat; dehinc Cereris errores, donec filiam non reperit, Iovis placita, foedus inter Plutonem et Cererem initum, munera mortalibus concessa, nec non coetera speciosa miracula promat, quae sponte, paene dixerim, ab inopinato illo eventu manare videntur. Sed de his piget diutius immorari: liceat tantum animadvertisse et inepte Nostrum hoc prooemio viam ad coetera sibi molitum esse, et frustra, verbosis dumtaxat et latioribus argumentis, Koenigium (2) usum fuisse, ut lectoris captui id accomodaret: nunc singulas poematis personas adeamus.

II.

PLUTO

Plutoni, qui primus in Claudiani poemate tibi occurrit, duplices a Nostro partes tribuuntur: primum enim tibi exhibetur velut superbus Averni tyrannus, suae quidem vis conscius, itemque tertius Saturni haeres, in Iovem ipsum arma illaturus; tum hominis instar acris amoris moestitia correptus in regia aula solitudinis pertaesus, coniu-

(1) *Metam.* V, cap. XI. Prato 1863.
(2) Op. cit., p. 47-50.

gem sibi exoptans dulceque patris cognoscere nomen. Ira atque amore percitus, sive repulsam timet, sive precis nescius supplicationem ne mente quidem concipere potest, bellum repenter Iovi indicit, quod solus ipse ex Diis connubio egeat. Ita Pluto mirum in modum multaque cum arte inducitur a poeta, qui haud dubie epici carminis decori magis consuluit, admirationem nostram subita hac ira rapiens, quam si rationi obsequentius, uti Koenigio iniuria placet, sese gessisset (1). Sed usque eo dum hisce de causis permotum Plutonem adspicias, bellum Superis molientem, sponte comitantibus Furiis Manibusque, quem Lachesis tantum compescit, aiens « Posce Iovem, dabitur coniunx »; usque eo dum illiberalius se a Iove depressum conqueritur, Statii coloribus hic a poeta adhibitis (2), mirum quantum discrimen intercedat inter hunc Nostri Plutonem et Homericum illum ὁμῇ πεπρωμένον αἴσῃ (3). Quid enim sibi vult illud « pepercit » et « erubuitque preces » (4), quae nisi pigmenta sunt, quibus Plutonicae personae terror fucatus imminuitur? At si rudi fultum solio admireris, nigra maiestate quidem verendum, dolore tamen perculsum (5) Inferni concilii praesidem; si tecum mediteris quae Noster ait (I, v. 80 sq.):

> Squalent immania foedo
> Sceptra situ, sublime caput maestissima nubes
> Asperat et dirae riget inclementia formae,
> Terrorem dolor augebat.

---

(1) Illius conceptissima referam verba: « Quid de Plutone dicam ira aestuante sine ulla causa idonea, bellumque non indictum et quasi ante res repetitas superis moventem? » (p. 57-58). Hoc solutam, non numeris adstrictam decere orationem, nemo est quin sentiat.

(2) Theb. VIII, 36.

(3) Il. XV, 209.

(4) V. 67-68, edit. *Ieepii*, Lipsiae 1879.

(5) Quamquam *Macaulay* suffragor sententiae perhibentis, solum inter Deos daemonesque Aeschyli et Angelos daemonesque Miltoni analogiam intercedere (V. Saggi biografici e critici, vers. di *Cesare Rovighi*, vol. III, 1863, p. 226); etsi non me fugit *Chateaubriand* Miltoni Satanam incomparabile inventum pronuntiasse (Génie du christianisme, IV, p. LXXX praef. Paris 1845), nihilominus mihi videtur Milton non fuisse a Claudiani lectione alienus. Cfr. quaeso

omnia vero, loquente tyranno, late circum obmutescere (v. 85 sq.),

> ..... latratum triplicem compescuit ingens
> Ianitor et presso lacrimarum fonte resedit
> Cocytos tacitisque Acheron obmutuit undis
> Et Phlegethonteae requierunt murmura ripae;

nonne totus reviviscit maximus ille Noctis arbiter, umbrarumque potens quem ab antiquis poetis accepimus? Nonne tibi subest Claudiani cum italico nostro vate Torquato Tasso comparatio, qui latinum poetam in Plutone describendo plane imitatione assecutus sit, cornibus tantum adiectis (1)?

---

and care Sat on his faded cheek Paradise lost, I, 601 ed. Tauchnitz 1850.	Sublime caput maestissima nubes asperat . . . . . . Terrorem dolor augebat Rapt. Pros. I, v. 80 sq.

Et I, 125:

So spake th' apostate Angel, though in pain,
Vaunting aloud, but rack'd with deep despair.

Ad haec I, 195 sq.:

extended long and large Lay floating many a *rood*, in bulk as huge As vhom the fables name of monstrous size; Titaniam, or Earth-born, that warr' don Iove, Briareos, or Typhon etc.	Et Tityos tandem spatiosos erigit artus Squalentisque novem detexit iugera campi, Tantus erat etc. II, 337.

Cfr. insuper audacem in utroque orationem in Deum supremum

.....Since by fate the strength of Gods. I, 116-123.	Tantumne tibi saevissime frater etc. I, 93-116.

Denique quae de ignivomi Aetnae causis apud Anglicum et Alexandrinum poetam proferuntur

. . . as when the force Of subterranean wind transports a hill Torn from Pelorus, etc. (I, 230 sq.).	Quae scopulos tormenta rotant etc. I, 170 sq.

(1) Claudianum a *T. Tasso*, tamquam fontem adhibitum in Inferorum concilio unicuique erit compertum, utrumque poetam inter se conferenti, praesertim Gerus. Lib. IV, 7 cum Cl. Rapt. Pros. I, 79-83; Ger. IV, 8 cum Claud. 84-88; Ger. IV, 9, 10 cum Claud. 99 — 103.

Sed haec prior, pene dixerim, Plutonis facies, ad vim tantum spectantis; venio ad alteram; quippe Inferorum Deus, sub cuius curru nutat terra, rapta sibi ex Iovis monitu (I, 277) Proserpina, simulac primi suspiria sentit amoris, extemplo in amatorem desciscit. Hic suavissimo quodam splendore Amor Plutonem suffundit, ex contraria umbrarum et luminis pugna animum percellens, tenerius vero quum Deus (II, 275)

..... ferrugineo lacrimas detergit amictu

atque, remissa animi asperitate, Proserpinam solatur (1); quibus, nisi poeta nimis philosophico suo genio indulsisset, nihil ad naturam expressius queas excogitare. Pluto enimvero, hac quoque in re sibi constans, ut raptam virginem quodam solatio reficiat, quibuscumque illecebris posthabitis, totus in eo est, ut imperii inferni opes recenseat, eiusque sceptrum Proserpinae polliceatur, ratus spe futurae dominationis, ubi

Sit fatum quodcumque *velit* (2),

---

(1) Fortasse huius consolationis prima lineamenta ab Homeridae hymno in Cererem Noster hausit, quum Pluto Proserpinae valedicit matrem suam convenienti. Cfr. quaeso (Hymn. in Cererem, 363 sq.):

οὔ τοι ἐν ἀθανάτοισιν ἀεικὴς ἔσσομ' ἀκοίτης,
αὐτοκασίγνητος πατρὸς Διός· ἔνθα δ' ἐοῦσα
δεσπόσσεις πάντων, ὁπόσα ζώει τε καὶ ἕρπει
τιμὰς δὲ σχήσεισθα μετ' ἀθανάτοισι μεγίστας.
τῶν δ' ἀδικησάντων τίσις ἔσσεται ἤματα πάντα,
οἵ κεν μὴ θυσίαισι τέον μένος ἱλάσκωνται,
εὐαγέως ἔρδοντες, ἐναίσιμα δῶρα τελοῦντες.

Maiora dabuntur
Sceptra nec indigni taedas patiere mariti.
Ille ego Saturni proles ecc. (II, 278 sq.).
. . . . . (II, 294, sq.) . . . . . .
Parva loquor. Quidquid liquidus complectitur aer,
Quidquid alit tellus, quidquid maris aequora verrunt,
Quod fluvii volvunt, quod nutrivere paludes,
Cuncta tuis pariter cedent animalia regnis.
. . . . . (302, sq.) . . . . . .
Tu damnatura nocentes
Tu requiem latura piis, te iudice sontes
Improba cogentur vitae commissa fateri.

(2) II, 306. Cfr. *Tasso* (Ger. Lib. IV, 17.):

Sia destin ciò ch'io voglio.

satius quam sui in eam amoris significatione sponsae animum mulceri atque molliri posse. Qua quidem in re laudandus Noster, qui personae decus servavit, Plutonem exhibens compar esse connubium Proserpinae suadentem: amoris enim testificatio tunc temporis, quo Proserpina raptorem adhuc abominaretur, absurda quidem fuisset.

At iam Venus nunc suum triumphum retulit; iam, uti Iupiter praeceperat (I, 223 sq.),

> **Nulla sit immunis regio nullumque sub umbris**
> **Pectus inaccensum Veneri. Iam tristis Erinys**
> **Sentiat ardores, Acheron Ditisque severi**
> **Ferrea lascivis mollescant corda sagittis**

vel Tartara Amorem excipiunt. Quum autem Averni dominus mitior Inferos adit, undique stipantur Manes, insignam visuri nurum. Laetatur rex et serenus dissimilisque sui facili patitur mollescere risu. Tunc remittuntur cruciatus, respirant poenis magni Titanes; placantur Furiae; tunc lacte et mero fluunt rivi, ac fletibus gemitibusque aeternis tunc primum succedit epithalamium. Dum haec laeta peraguntur, virgo sub vesperum in thalamum ducitur; Pluto ex oculis nobis itemque e poemate subripitur.

Hanc igitur Plutonis imaginem singulari quidem artificio expressit atque egregiis ferme picturae coloribus Noster illustravit. Neque hoc tantum, sed, dum ex antiqua mythologia Plutonem eripit, ubi lineamenta in dies amitteret, eumque tremendae quidem maiestatis splendore augustum praebet, pronum tamen ad amorem, novam Inferorum Deo, amore exardescenti, induit faciem: novam et Averno insculpsit notam. Iam enim apud Nostrum videns Manes cum ira tum gaudio Plutonis commoveri, omniumque illius eventuum fieri participes, nonne animo iam iam prospicias acerrimas pugnas, quae, gliscente nova Christianorum fide, veteribus mythis deturbatis subversisque, apud Inferos agitabuntur, quum Satanas ille biblicus fuit suffectus, in quo describendo mire poetarum ingenia sese exercuerunt? (1).

---

(1) V. *Chateubriand* de inferis christianis ac paganis, Génie du Christ., p. 310; et *Mérian*, L'enlévement de Proserpine, trad. en prose française, remarques p. 241. Berlin 1777.

III.

PARCAE

Plutonis ira flagrantis pedibus Parcae advolutae pollicentur, si uxorem petat, nullam a Iove repulsam illum fuisse laturum (1). Qua quidem in re profecto haud me poenitet a Walchii sententia recedere, affirmantis apte Parcas ad leniendum et flectendum Plutonis animum a poeta adhibitas (2). Tota enim germanici auctoris admiratio inde oritur, quod Parcae nihil aliud quam ordinem in rerum natura legibus sanctissimis semel constitutum significent; proinde quum leges illae superorum, qui eas tulerant, discordia ac bello tolli atque everti possent, nemo maiori cum dignitate et feliciori successu rem illam suscipere poterat, quam Parcae. Verum utrum hoc sensu Parcae sint quidem accipiendae, necne, viderint cordatiores viri. Iam acutissimus ille latinae linguae arbiter, Gesner (3), monuerat Parcas hic, ut saepius fit in Mythologia alias partes implere; inferorum partem esse et regni Plutonis, filiasque adeo vel ipsius vel Noctis et Erebi: quam porro interpretationem libere profiteor mihi magis arridere quam Walchianam, praesertim quum apud Nostrum legas, illas Plutoni laborare stamina (I, 56); Plutonemque ipsum tamquam earum arbitrum Proserpinae dicentem (II, 305):

Accipe Lethaeo famulas cum gurgite Parcas.

Verum, explosa Walchiana sententia, et Gesneri iudicio acquiescentes num melius nos poematis dignitati consuluisse affirmaverimus? Si Parcae tantummodo Plutonis ancillae vel filiae habendae sunt, quomodo hoc explicari poterit Plutonem, deposita ira, tam facile earum consilio obsequi?

---

(1) I, 48 sq.
(2) Op. cit., p. 45.
(3) Claudiani opera, Lipsiae 1759, comm. ad v. 48.

Mea quidem sententia, in poemate Parcae haud prorsus fatali, ut ita dicam, carent significatione; Claudianum enimvero non fugerat Proserpinae raptum iam in hymno Homerico fuisse a Iove decretum, non aliter ac Troiae excidium (1); eamdemque causam Euripidem (Helen., 1308), Ovidiumque (2) prae oculis habuisse. Quemadmodum autem iam in Orphica poesi Iupiter in « δαίμονος αἴσαν » (Argon, 1200) redactus fuerat, itemque artifices, propter arctam fati cum Iove cognationem, Parcas raptui praesentes effinxerant, ita Noster sub Parcarum nomine immutabile Iovis consilium occultavit (3).

Quod quidem magis in aperto erit, si verba illa respicias, quibus Iupiter mentem suam Veneri aperiens simulat iamdudum poscere fata ut Proserpina Plutoni assignetur; hic enim suam Iupiter voluntatem fati nomine donat, uti ex superioribus unicuique constat (4). Hinc quoque patet, ni fallor, cur Plutonem Parcae Iovem fratrem adire iubeant, utpote quae haud ignorent se, licet seriem fatorum pollice ducant, Iovi impares esse, a quo fata statuuntur. Quae quum ita sint, nil mirum si Pluto hasce Deas, supremam Iovis voluntatem significantes, veneretur, earumque monitis indulgens iram remittat. Attamen, si hisce de causis Parcae hic satis sunt excusandae, coarguendus tamen poeta, qui earum interventum tam invenuste nobis exhibuerit. Non enim solum, ex Walchii sententia (5) nimiam Parcis vim tribuentis, peccavit quod in describendo ac fingendo inferorum tumultu non diutius commorari posset; Parcis enim mature operi instantibus, animi compescuntur, restinguitur ira, mature quoque res ad eum finem, ultra quem transferre eam haud licebat, perducitur; sed, quod gravius est, quia, Dearum dignitate posthabita, eas tamquam machinam, ita dixerim, poeticam adhibitas, ad Plutonis pedes advolutas effingit, genibus manus admoventes; atque adeo solemnes illas Deas

(1) Cfr. hymn. in Cerer. v. 3, 30, 77, 414.
(2) Metam V, 341, Fast. IV, 417 sq.
(3) V. *Förster*, p. 35, adn. 1.
(4) Idem dicatur ubicumque fati mentio iniicitur, uti ex. g.: « Sic Parcae iussere », II, 6.
(5) Op. cit., p. 48.

in Thetin Homericam convertit (Il. I, 500); quod quantum decori obstet, nemo est quin videat (1).

IV.

IUPITER

Ad Iovem nostri poematis animum advertenti mihi occurit Horatiana illa dicendi ratio « nervis alienis mobile lignum » (2), qua nihil aptius ad hanc Iovis imaginem exprimendam invenire possum. Praecipua quidem supersunt augusti numinis lineamenta, solemnis capitis nutus, fulmen, auctoritas, divinarum humanarumque cura. Attamen, si attente perpendas, non Iupiter ille existit, quem veteres poetae atque artifices venerabundum effinxerant, sed Iovis potius simulacrum dicendum, quod Noster tibi exhibet. Revera simulac veterum poetarum vestigiis innixus Iovem et suum curis laborantem induxit (I, 118):

> . . . secumque volutat
> Diversos ducens animos, quae tale sequatur
> Coniugium, Stygiosque velit pro sole recessus

ubi Homericum διάνδιχα μερμήριξεν (Il. I, 189), aut Virgilianum (Aen. IV, 285):

> Huc illuc et in partes varias versare animum

fortasse imitatione contendit exprimere, mox cum Venere alloquentem inducit, tam vero inepte, ut eam dignitatem, qua Iupiter apud antiquos poetas praecinctus apparet, minime tueatur. Num omnipotens pater Deûm hominumque dicendus, qui anxiae infestaeque sollicitudinis timore vexatus metum tegit falsa oraculorum necessitate, quibus se impulsum fatetur ad Proserpinam Tartareo regi concredendam? Eum sane amantiorem patrem velis, quippe agitur de filia Plutoni permittenda, quem procum fortasse, utpote infernum,

---

(1) Iure affirmaverat *Koenig* totam rem non satis accurate a poeta fuisse expensam, p. 50, proleg.
(2) Lib. II, Sat. VII, v. 82.

repulsa magis quam assensus decuisset. At tantum abest ut Iupiter fratris postulata moleste ferat, ut contra ne vehementer quidem animo perturbatus videatur, vel ἑκὼν ἀέκοντι γε θυμῷ, qualem scilicet in Il. VI, 43 se se praebet, ubi, in Sarpedonis episodio, ὑπέρμορον quoddam pene est commissurus, nisi aequitatis obstarent praescripta (Il. XVI, 433, sq.). Si quis autem illas, quae ex Cybelis animo erumpunt, voces excipiat (III, 134)

. . . nec tanta Tonanti
Segnities, ut non pro pignora fulmina mittat,

mihi facile assensurum confido dicenti patriam penitus charitatem in Iove desiderari, poetam vero minime decori consuluisse (1).

Unicus locus extat, in quo Olimpicus rex, licet tantum *ex machina* adhibitus, divino quidem splendore fulgere mihi videtur; nimirum quum Diana ac Minerva Proserpinam tutandam suscipientes, iam in eo sunt ut equis raptorique vulnus inferant (II, 223, sq.). Tunc autem Iupiter, non aliter atque apud Euripidem (Helen. v. 1317) et artifices, fulmen torquet, confessus socerum. Qua in re, quamquam dignus deo vindice nodus reapse non suppetit, ea tamen nobis exhibetur tabula, quae ex rerum adiunctis colores sumens vitam quamdam fulgoremque et Iovi admovet. Quum autem in Deorum consilio eum ficte et simulate loquentem deprehenderis vultu tamquam persona obducto, nonne mecum affirmaveris Iovem, qualem antiqui tradidere scriptores, evanuisse, praesertim vero si orationis finem excerpseris, ubi, quo maioris momenti nonnihil rei accederet, Homericus ille capitis nutus adiungitur, tremefaciens Olimpum? (2). Heu quantum mutatus ab illo, cui apud veteres

Nec viget quicquam simile aut secundum (3).

---

(1) Dum res minoris momenti *Walchius* hic prosequitur, poetam laudans, quod, si Iupiter Plutonis obstitisset voluntati, eum exhibuisset iniustum sane Deum iniquumque fratrem (p. 48), non animadvertit, quae mox in Nostrum notavi irrepsisse vitia.

(2) Allusit Noster ad Hom. Il. I, 530 μέγαν δ' ἐλέλιξεν Ὄλυμπον, et ad Virg. X, 115: *nutu tremefecit Olympum.*

(3) Horat. Carm. I, 12, 17.

Iupiter iste, non iam πολυμήτις, uti ab Homero appellatur, sed vel in suis deceptus consiliis. In aurea enim aetate auferenda, hoc potissimum supremae Iovis menti inerat, quod homines desidiae laqueis expediti ad alacrem gnavamque vitam se se converterent, eisque paupertas artes omnes aperiret: humani autem eventus Dei expectationi non congruunt. Mortalium scilicet genus innumeris, quibus antea fruebatur, opibus destitutum, otio ignaviaque vitam terit, glande vescitur, eoque miseriarum devenit, ut Natura ipsa eorum fortunam miserta levare experiatur. At quorsum spectant haec, tam longe arcessita? Ingeniosam nimirum sententiam excutit *Gesnerus* (ad III, 19) ratus hac speciosa Iovis oratione morem regum humanorum effingi, « qui suis actibus valde interdum hominem sapientibus, olentibus, referentibus, splendidos obtentus quaerunt et alias longe habent diversasque multum a *suasoriis* causas *iustificas* »: sed ne istud quidem artificium, quo fortasse Homericus Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω adumbratur, satis feliciter Nostro cedit. Et revera nemo est quin miretur Iovem illum antea Plutonis minis compulsum ad filiae nuptias ei permittendas, postea vero tempori cedentem, resque in melius immutare cupientem, ut ipsemet sibi purgari velit, in summo Deorum consilio Thrasonis partes tueri. Ad haec, si Iupiter sibi ipse constaret, simulac Naturae questibus permotus, constituit « Chaonio gentes avertere victu » (III, 47), nulla suppetebat causa omnes minis terrendi, ne Cereri matri filiae raptorem proderent, quum et ipse in Olympo iactet Cererem gaudio repertae filiae continuo homines frugibus fuisse donaturam. Sane habeo ex mytho quid respondeam; nam erat in fatis, ut prius Cereris errores perficerentur, quam arvorum cultus humano generi impertiretur. Sed ulla indicia, quae rei nostrae lucem admoveant, frustra in Claudiano requiras. Qui feliciores proinde debuerat causas in medium proferre, quibus Iupiter permotus sit ad homines agrorum proventibus reficiendos; ad rem enim non faciunt eius sollecitudines, quum Ceres, Iovis sane consiliorum inscia, idem polliceatur, dummodo Proserpinam servet Sicula terra, se nimirum fruges sponte esse daturam (I, 196), quin Saturnius rem in simpulo agitaret.

Verum haec aliaque graviora vitia tibi satis erunt perspicua, si mecum cogitaveris Iovem Claudianeum personam esse omnigenis undique collatis imitationibus conflatam. Facile enim dignoscas, supremum Deorum regem hic theses solum effutientem, ac sententias declamitantem, ex quibus haec potissimum : a Iove aetatem auream sublatam fuisse, ut

Varios usus meditando extunderet artes
Virg., Georg. I, 133.

ubi Maronem (1) Noster sectatur, etsi a Virgiliana simplicitate candoreque recedens, nec non alium communem locum inserens, nullam nempe Coelestibus iam esse invidiam (2), Iovem, uti argute ait Kretshmann (3), in urbanum praetorem convertit. In quo sane reprehendendus Noster, quod et Iovem consilii pene expertem exhibeat et quae Virgilius ab omni verborum strepitu alienus tribus versibus perstringit, videlicet (Georg. I, 147) :

Prima Ceres ferro mortales vertere terram
Instituit, quum iam glandes atque arbuta sacrae
Deficerent silvae et victum Dodona negaret

ipse contra tam fusa oratione augeat atque amplificet, ut sui oblitus ea praeoccupet, quae postremo loco dicenda erant, ut suspensum lectorem tenerent, nimirum Cererem, si filiam revisisset, frugibus homines fuisse donaturam. Postquam vero inepte Claudianus, quae a Virgilio mutuatus est, minasque ab Homero (4) captatas Iovis ori ingessit, atque umbrae, ita dixerim, corpus quodammodo commodavit, ut

---

(1) Cfr. Georg. I, 121.

(2) *Mérian*, p. 463: Iupiter déclare que la haine et l'envie n'entrent point dans le cœur des immortels, proposition contraire à toute la Mythologie, et aux idées mêmes des plus graves écrivains de l'antiquité... Mais faut-il être surpris que dans ces temps les payens ayent chercher à ennoblir leurs idées religieuses? Tant qu'il n'y a qu'une religion, elle ne sort point de la grossièreté primitive. Mais dès lors que plusieurs cultes se trouvent en conflit, ils se raffinent et s'épurent les uns par les autres. — Cfr. quoque *Gesnerum* ad III, 27.

(3) Iupiter veröffnet... dass er ihnen die Noth zur Lehrmeisterin gegeben habe, damit sie nicht durch den Luxus verdürben (eine ganz vortreffliche Polizei = operazion) p. 184.

(4) V. meam dissertatiunculam *De Cl. Claudiani fontibus in poemate De Raptu Proserpinae*, Aug. Taurin. 1881, p. 30.

inflexa cervice nutuque capitis Olympum tremefaceret, tum ex oculis Deum istum subducit. Iupiter evanuit, et quum infelix Proserpinae mater acerbissimo doloris sensu percita, testatur se filiam non repetere, hac tantum lege, ut eius sortem ediscat, (ubi magis magisque superflua mihi videntur Iovis decreta, tot minis circumsepta, quia eius consilium de hominibus agricultura sublevandis commodiorem occasione nancisci non poterat, ut explicaretur), tunc Iupiter κούφου προσώπου partes tuetur. Sed fortasse haud dubium est quin Noster, si totum mythum fuisset prosecutus, haec vitia castigasset, ac saevitiae in Proserpinam et Cererem adhibitae poenitentia, ut ita dicam, tactum Iovem praebuisset; docet enim fabula (1) Iovem Cereri pollicitum esse, Proserpinam redituram in coelum si ullo apud Plutonem cibo abstinuisset. At Proserpina iam punici mali grana comederat, quapropter iuncti tori Pluto invocabat iura, ne nuntium uxori remitteret, donec infernum dissidium hoc pacto Iupiter diremit, ut Proserpina totidem cum matre, totidem cum coniuge transigeret menses. Hic sane Noster Iovis personam refingere poterat; sed occasionem vel temporis ratione prohibitus, vel consulto potius, praetermisit. Nihil enim ex prooemio coniectura assequi licet, praeterquam quod Cereris errores (I, 30),

> Unde datae fruges populis et glande relicta
> Cesserit inventis Dodonia quercus aristis.

Quum igitur res ita se habeat, quid de Iove Claudianeo censendum? Libenter Kretschmanni (2) accedo sententiae, affirmantis Nostrum in Iovis persona effingenda claudicasse, qua quum tota poematis machina praecipue fulciatur, colligere fas est, ingens quidem detrimentum opus esse contracturum.

---

(1) Cfr. *Ovidium*, Met. V, cap. XIV; Fast. IV, cap. III, Prato 1863; *Welker*, Abhandlung über den Raub der Kore; *Creuzer*, Symbol. IV, p. 227, 3ª Ausg.; *Preller*, in Pauly R. Encyclop. ad v. Perseph.; et in Demeter u. Persephone, Hamburg 1837; *O. Müller*, Tav. 9 illustr., p. 42; et *Förster*, op. cit., in primis.

(2) Op. cit., p. 185.

V.

PROSERPINA

Nulla prorsus ratione in Claudianea Proserpina adumbrantur quae Graecis est Περσεφόνη, multoque minus ἀθελγής, ἀγέλαστος, ἀμείδητος (1) Dea Nonniana, sed pulcherrima Cereris filia, ἐρατοπλόκαμος, ἀγλαομορφή, qualis in hymno Orphico nitet (2), Κόρη (3) per antonomasiam nuncupata, quae domi tranquilla, priusquam fatum fusco eius frontem colore obduceret, a matre numquam seiuncta, eam fragrantiam diffundit, ut aptissime ab Orphico poeta εἰαρίνη (4) appellata tibi videatur. Mirum quam felicissime haec dicendi ratio, Proserpinae conveniat. Unica enim erat filiola; matris deliciae optatissimae; nutricis desiderium, quae summo Iovi ducebat puellam atque aptabat genibus (5); sponsa a Marte, Phoeboque expetita; advocata votis nurus a Iunone et Latona (6). Procorum erepta insidiis a Cerere, atque in Sicilia abdita, dum illa ad Cybelem in Phrigia degentem revisit, cum ancilla Helectra domesticum vitae genus condiscit. Maternis praeceptis haud indocilis, extra limen non audet pedem proferre, licet λειμονίασιν χαίρουσα πνοῇσιν, ut Orphici poetae verbis utar; cautosque post lusus atrii finibus circumscriptos, en, animo in parentem intenta, munus matri redi-

---

(1) *Nonn.* 4, 155; 30, 125.
(2) Hymn. 29 ad Perseph., Lipsia 1876.
(3) Apud Homerum Hesiodumque κούρη promiscue usurpatur; sed apud Atticos scriptores νύμφη opponitur. Cfr. *Preller*, Dem. u. Perseph., p. 85; *Pape's*, Wörterbuch der griech. Eigennamen, Braunschweig, 1863-70, ad v. Περσεφόνη.
(4) Hymn. 29, v. 12.
(5) Claud. III. 174.
(6) Procorum mentio licentius a Claudiano fuit conficta; in mytho enim desit.

turae acu distinguit (1), tenero mulcens solitudinem cantu (2).

Venustissima haec puella, quae, iucundo huiusmodi operi incumbens, tibi in mentem revocat dulcem illam Virgilii picturam

Interea longum cantu solata laborem
Arguto coniux percurrit pectine telas, (3)

magis magisque propter ingenii suavitatem carior tibi fit. Dum enim texit Ditis penetralia fatalesque Manes quasi futuri presaga, improvisis madet lacrimis; dum vero inopinata Veneris, Minervae et Dianae adventu deprehenditur in opere textili peragendo, perturbatione perculsa, simul imperfectam deserit telam, simul pudicitiae colore genas suffunditur. Postquam autem callida Venus, consilio Iovis permota, sociis sibi sumptis coeteris Deabus iisdemque omnis doli ignaris, ut suspiciones tolleret, Proserpinae iteratis amplexibus virginem rubore perfusam confirmavit, tunc veluti inter sorores puellari more lusitat, modo Dianae praetentans arcum, modo crinitam Minervae galeam ingentemque clipeum omnibus viris gestare connixa (4): atque praesidio confisa Dearum, inter Naiadum Nympharum ministrarumque innumerum agmen, maternis quidem monitis e memoria elapsis, nec sinistris percita auguriis, Veneris illecta artibus, ruit in ridentes Hennae campos, ante alias aestuans fervore flores legendi (5). Hinc Proserpina pulchrior evadit, poetae potissimum artificio, qui tenuissimis eam coloribus gradatim illinit. Lux exoritur, dumque natura maturius expergiscitur adventantibus Deabus, inter umbras Hennae

---

(1) Cfr. quae de Proserpina texente scite notavit *Iohann Daniel* von *Bordelius*, Claudian's Raub der Proserpina, 1. Gesang metrisch übersetzt mit ein. Anm., Hamburg 1811, ad v. 245. Quod vero ad Claudiani artificium attinet in huiusmodi descriptionibus captandis, v. *Ludov. Friedländer*, Ueber den Kunstsinn der Römer in der Kaiserzeit. Königsb. 1856, p. 28.

(2) V. *Bordelius*, op. cit. ad v. 244.

(3) Georg. I, 293.

(4) Cfr. Electrae narrationem III, 216.

(5) Imitatio *Ovid.* Metam. V et XI:

Et aequales certat superare legendo.

figura sese extollit Zephyrum invitantis, ut festive floribus terram exornet (1). Zephyrus alas concutit atque extemplo turget Natura, florumque magna seges ex omni gleba erumpit: peramoenus locus rivis, silvis, lacubus clauditur. Mox nympharum cohors, huc atque illuc catervatim discurrere, apium instar; incipit anthologia, quam Graecorum ingenium a pulchritudinis et iuventae imagine numquam poterat dissociare (2). Proserpina quoque flores legit (3), primum teneris annis munusculum, naturalemque formae habitum, ex Hesiodi atque Euripidis sententia (4); serta contexit, seque corona redimit, venustati suae novas notas summopere adiiciens, quas Dearum nympharumque comitatus, anthologia, ac vernus locus mirifice augent (5). Hactenus Proserpinae personam, quae, heu caeca futuri, veluti in sponsam ignara se exornat, nativa, non adscita venustate a Nostro expolitam miraberis; quum vero curru abrepta doctius suam conqueritur illa vicem (6), paullatim eam animi naturam simplicem, nec in se quidquam admittentis dispar

---

(1) Suavissima haec imago fortasse ex hymno Hom. v. 8 sq. fuit deprompta, quum Gaia Iovis consiliis obsecuta floribus sese induit. Melius Alexandrinum ingenium prodidit Noster, ubi in regiam Veneris aulam Zephyrum colonum inducit, in Nupt. Honorii et Mariae v. 60:

Intus rura micant, manibusque subdita nullis,
Perpetuum florent, Zephyro contenta colono.

(2) Die Schilderung der Anthologie selbit u. Entführung ist besonders in diesem Nebeneinander beider höchst bedeutungsvoll u. prägnant, eine eigenthümliche Mischung des Lieblichen u. Grauenvollen. — *Preller*, Dem. u. Perseph., p. 83.

(3) Das die Anthologie auch hier eine grosse Rolle spielte, geht aus dem einen der Namen hervor, welchen die Κόρεια hier führten: Ἀνθεσφόρια. *Förster*, p. 23, et adn. 2.

(4) *Hes.*, Op. v. 75; *Eurip.*, Iphig. in Aul. v. 1295.

(5) Quod ad Proserpinam Claudianeam attinet, confer lib. I, 120 sq.; II, 4 sq.; atque Electrae narrat. III, 196 sq.

(6) Cette tirade de Claudien serait très-bonne dans un endroit, où le genre épique touche au genre dramatique... Sénèque le tragique commet la même faute dans un sens contraire: il est épique presque par tout, où il devrait être dramatique. Et Lucaine est tantôt lyrique, tantôt épigrammatique, lorsqu'il faudrait être épique. *Mérian*, Enlèvem. de Pros., note p. 265. — *Walchius* autem nimis rhetorice de Proserpinae dolore pronuntiat: Dolor, quo Proserpinam afflictam videmus, ad eam moeroris et tristitia gravitatem accedere videtur, qua ii modo, qui omnem spem salutis abiecerunt, afficiuntur. Op. cit., p. 48 sq.

sui atque dissimile, exuit, quae veluti gemma ipsam distinguebat. Etenim Proserpinae querelae, poetae obliti imperitia, *descriptas servare vices operumque colores* (*Hor.*, Art. poet. 86), in rhetoricam declamationem desciscunt, in qua, mythologicae eruditionis frondibus decussis, uti « tela fabricata manibus Cyclopum », Phlegrae tumultus (cui si Proserpina puella interfuisset, nihil sane absurdius!) vix reperias quod miserrimum Proserpinae animum tibi ea qua par est veritate referat, quum volucri fertur curru,

> Caesariem diffusa noto, planctuque lacertos
> Verberat et questus ad nubila fundit inanes (1).

Si enim nonnulla excipias, inter quae in Iovem probrum, πλεοναστικῶς tamen expressum,

> Nullane te flectit pietas? Nihilumne paternae
> Menti inest (II, 253), et

> . . . . . cuius conscia culpae
> Exul ad immanes. Erebi detrudor hiatus,

animo quidem in omnium rerum desperatione versanti satis congrua, coetera frigidiusculum poetae studium magis produnt declamitantis

> O fortunatas, alii quascumque tulere
> Raptores! etc.

aliaque id genus, quae spectatorem quidem, non Proserpinam tamen decerent; tanto enim moerore oppressam vix credibile est comparationes instituturam. Potius Proserpina revisitur in versu illo

> Servitum Stygio ducor captiva tyranno,

unde pathos augetur; praesertim vero, quum matrem invocat « Mater, io etc.

---

(1) Cfr. *Ovid.*, Fast. IV, cap. III; *Politianum,* St. 113, qui suum sibi fecit Ovidium:

> Si percuote ella il petto e in vista piagne,
> Or la madre chiamando, or le compagne.

Nec praetereundus *Cassiani,* Ratto di Proserp., son.:

> Ma già il carro la porta; e intanto il cielo
> Ferian d'un rumor cupo il rio flagello
> Le ferree ruote e il femminil lamento.

Sed vix primam doloris significationem exorsus poeta obtruncat, atque immodico eruditionis studio captus, luxuriatur in recensendis locis ac negotiis, in quibus mater versari poterat, quum actio eam celeritatem requireret, quae longiores digressiones non pateretur, quam moerentis animi ratio postularet, invocantis

. . . . . compesce furentem
Comprime ferales torvi praedonis habenas.

Nemo enim est quin sentiat quo scitius eumdem affectum exhibuerit Ovidius, brevitati studens (Fast. IV, cap. III):

Illa quidem clamabat: Io, carissima mater
Auferor! ipsas suos abscideratque sinus.

Quae quidem dico non ut Ovidio primas in Proserpina effingenda concedam: sunt enim, quae in Claudiani pictura Nasonis descriptioni anteponam. Num quia Claudiani Proserpina, uti censet Walchius (p. 47), maiore miseratione digna nobis videtur, quam Proserpina Ovidii? Sane ei non assentiar perhibenti hanc sponte sua ex claustris, in quibus condita a matre fuisset, egressam, omnibusque, quae mater monuerat, neglectis, periculis sese obiecisse; nam Königius (p. 53, proleg.) iam senserat apud Ovidium non abditam a matre fuisse Proserpinam, nec vetitam domo exire; illam vero non nisi dearum, quarum societate freta et tuta videretur, consilium esse secutam. Qua igitur re superior evasit Noster? Mea quidem sententia, quum Noster Proserpinam facit, verisimili poenitentia ductam, conquerentem: « O male dilecti flores », in quibus legendis, matri non obtemperans, noxam incurrerat; hoc enim nihil ad naturam expressius, quod in sui causam mali inveheretur. Multo minus laudandus Ovidius, qui hanc eamdem picturam nimis verborum luminibus distinguens, in alium prorsus sensum detorserit (Metam. V, c. XI)

. . . et, ut summa vestem laniarat ab ora,
Collecti flores tunicis cecidere remissis;
Tantaque simplicitas puerilibus affuit annis;
Haec quoque virginem movit iactura dolorem.

Quis enim non animadvertit, poetam hic lasciviisse, sive quod Proserpinam nimis adhuc puellam exibuit, quae dolore

matris amissae unice occupata debuisset effingi; sive quod anthologiam omni penitus significatu destituit, dummodo in iis puerilibus ineptiis luxurietur, quas Seneca et Quintilianus iam in illo redarguerunt.

Verum hac comparatione relicta, ut tandem Proserpinae personam absolvam, vitiorum virtutumque ratione habita, mihi videtur in hac Proserpinae descriptione cumulate Noster lectori satisfecisse. Num fortasse reprehendendus Claudianus quod Proserpinae non satis vitae animaeque indiderit? At nihil puto a puella exposcendum fuisse, praeter ea studia, quae tanta suavitate perfusa tibi descripsit Noster, praesertim quum teneas ex mytho Proserpinae minorem matre partem contigisse, quippe quae causam Raptus tantummodo suppeditet, unde coetera eademque graviora originem duxere. Quae quum ita sint, Koenigio non suffragabor, quum ait (p. 58) Proserpinam pulchram quidem puellam et simplicem, sed nulla re, qua animos in se convertat atque aliqua ratione sibi conciliet, spectabilem, telam texere, flores legere, postea rapi; verum nisi rapta clamasset, fidemque deorum et matris implorasset, vix tandem esset, quod eius vices doleremus. Haec fortasse iam a Kretschmanno derivata (p. 190), temere a Koenigio effutiri dicas, si cogitaveris plurimis Proserpinam pollere virtutibus, quibus extemplo nos admiratione in ipsam accendamur; nimirum pulchritudinis munere et gratiae, quo potissimum capti, gliscente affectu, omnes eius vices et actus sollicito animo prosequimur. Sane mihi Proserpina eumdem redolet odorem virginis Naturae, quem non omnes percipiunt, quia non iam simplicibus eius spectaculis delectentur; quin immo agrestem flosculum Proserpinam noncupaverim, innocentiae symbolum, quod omnibus carens illecebris, si nativam venustatem excipias, suaque contentum quiete, nullum vitae indicium praebet, nisi quum ventis agitatur. Tempestas exoritur? tunc in doloris gemitum, quem antea non didicerat, imminente periculo, prorumpit. Huic autem puellae vitam inesse quis denegaverit? Num dicendum, uti subiicit Kretschmann (p. 190), nisi fieret sponsa, circum quam choreae aguntur, lectoris animum non admodum fuisse illam moturam? Rem sic se habere non arbitror; si enim Proserpinae persona ex iis,

quae praecedunt, cognita non fuit, frustra in Averni nuptiis, sive θεογαμίᾳ, requiras, ubi scilicet inertem in festivo strepitu ipsa se praestat. Num laetitia perfusam cum Kretschmanno dixeris, qui hanc patientem agendi rationem auctor est contradicere querelis illis, quibus antea suam vicem erat conquesta, poene ac si Pluto eius animum iamdiu explorasset, quum omni amoris professione seposita, dumtaxat de Tartareo regno verba fecisset; Proserpina autem facile in Averno sese accomodasset? Cave ne leves huiusmodi nugas pro veritate accipias. Kretschmannum nempe effugit locus ille, ubi matres Elysiae tenero levant sermone timores (II, 323), quae prorsus cura superflua extitisset, nisi Proserpinae animus fuisset adhuc exagitatus; ignorabat germanicus scriptor Proserpinae nuptias in Averno quidem ex mytho esse derivatas; unde nil mirum si et Noster, non secus ac Orphici atque Alexandrini poetae nec non artifices, in iis commoretur. Quod vero Proserpina loci amore capta Tartara coelo praeposuerit, hoc ex penu suo deprompsit Atheniensis Philocorus aliique eum sunt imitati, ut diuturna filiae a matre absentia quodammodo explicaretur (1); huius tamen fictionis ne minima quidem vestigia in Nostro deprehendi. De reliqua Plutonis oratione nil moror; nam quo sit sensu accipienda iam vidimus; hoc unum moneo, nullum exinde argumentum ad Kretschmanni confirmandam sententiam sumi posse, quo de Proserpinae animo apud Inferos evincamur: nam hoc fieri potuit, ut, etsi Pluto regia dignitate Proserpinam cumulat, eo tamen animo ipsa sit, quod ab Ovidio exprimitur:

> *Illa quidem tristis,* neque adhuc interrita vultu
> Sed regina tamen, sed opaci maxima mundi,
> Sed tamen inferni pollens matrona tyranni (2).

Quid igitur? Ut tandem concludam, censeo in iudiciis de quocumque opere proferendis etiam animi affectus esse

---

(1) Cfr. *Virg.*, Georg. I, 39; *Serv.* ad Virg. I, 39; *Columell.* X, 272; *Lucan. Pharsal,* VI, 698 et 739; *Martial.* XII, 52, 8. — V. *Förster*, p. 59 sq.

(2) Metam. V, cap. XIII; cfr. praeterea cap. XV:
Nam modo quae poterat Diti quoque *maesta* videri etc.

advertendos; quae si probaveris, facile confido fore ut Proserpinam Claudianeam melius assequaris, atque intelligas ad hanc personam apte effingendam nostraeque admirationi commendandam non multis opus esse coloribus, sed unum illum sufficere, gratiam nempe et suavitatem, quem et apud nostrum Aligherium reperire fas est in iis versibus:

Tu mi fai rimembrar dove e qual era
Proserpina nel tempo che perdette
La madre lei ed ella primavera.

Purg., c. XXVIII.

VI.

CERES

Primas potius quam secundas in Claudianeo poemate partes obtinet Ceres, insigne pietatis documentum, Orphica παιδοφίλη (hymn. XL), quae Proserpinam filiam materno semper amore prosequitur a pueritia ad eam usque aetatem, qua Procorum insidiis eam prohibitura, antequam in Phrygiam apud matrem contendat, dulce amoris pignus suavissimis verbis Siculae terrae concredit (I, 193). Dolendum vero quod poetae inscitia nonnulla huic nobilissimae personae obrepserint, meo quidem iudicio, absurda; inter quae recensenda in primis illa « securae placidaeque Cereris » mentio (III, 68), verberantis Idaeos leones, perinde ac si ea mater, iam malorum presagiis in lacrymas effusa, quum Siciliam relinqueret, nunc pene filiae oblita, nocturnarum egeat imaginum, ut eius recordetur.

Ceterum, si Ceres hic tamquam mater aliquantum imminuitur, maiore certe, supra quam credibile est, iactura afficitur ut Dea, quum Noster somnia somniantem eam inducit ex disciplina oneirocritica Arthemidori, a quo vel lauri omen petitum est (1). Quae quidem omnia et poetam

(1) V. *Gesner* ad h. l. Iure *Koenig*, p. 56 prol.: Interim Ceres somnia videt complura ex ὀνειροπόλων disciplina quasi subnata, quorum alia aliis clariora et significantiora erant.

sane imperitum atque inveniendi vi prorsus destitutum ostendunt; nihil praeterea ad rem faciunt, quasi Nostro in animo sit, hoc artificio viam sibi munire ut Cererem in Trinacriam reducat, quum et materna pietas satis esset ad Cererem revocandam, et coeteris omnibus praetermissis, nocturnam Proserpinae imaginem, saevis vinctae catenis, sufficeret poemati ingessisse, dummodo hac quoque in re Noster modum servasset. Quid enim ineptius quam ubi Proserpinae simulacrum matris oculis obiicitur, comminisci « Nox oculorum infecerat ignes » (III, 87), itemque « Membra colorantur picei caligine regni » (III, 90)? Cur autem Proserpinam inducit loquentem «..... hiatu — Suppliciis inclusa premor »; « his oro miseram defende cavernis — Inque superna refer »? Omni penitus mentis acumine expers haec Dea est dicenda; quae ex hisce visis locum arguere nescit quo filia deducta sit, quum praesertim omnia portenta habita, nec non laurus tartareis bipennibus caesa, abunde inditia suppeditent unicuique, qui iudicio calleat.

Sed ad Cererem redeamus, somniis perterritam. Praetermisso loco illo communi, quamquam haud invenusto, filiae matrem incusantis animo transgressam leaenas (1), Cererem conspicias, quae (III, 111)

> Obriguit visis, gaudet non vera fuisse,
> Complexu caruisse dolet;

heu mira antithesis, quasi mali somnii formido filiae postularet blanditias, in quas sese discuteret. Attamen curis Ceres exagitata, amens prosilit penetralibus, matrem compellat, vult proficisci, timens ne domus, ubi suum occultaverat pignus, satis sit fida, neve Siciliae fama latebras prodat, neve denique omina (fusius hic iterum congesta) quidpiam veri portendant. « Heu longae nocuere morae » exclamat, atque in iter ruit. Sed tardos queritur non ire serpentes,

---

(1) Scite memorat *Koenig*, p. 56 prol.: Tandem ipsius filiae imago oboritur cubanti matrisque incuriam non quidem immerito, sed *paullo tamen vehementius, quam filiae par esset, incusans*, macie confecta, catenisque onerata. — Quod vero ad imitationes attinet, cfr. *Homer.*, Il. XVI; *Catull.*, Argon. 154; *Virg.*, Aen. IV, 365; *Ovid.*, Met. VIII, 130; *T. Tasso*, Gerus. Lib. XVI, 57.

etsi nubila volatu superant; proinde hunc atque alterum verberibus immerito impellit et Siciliam quaerit, cum nondum ascenderit Idam (III, 140). Ut domum attingit, heu quale visum! Omnia deserta; eversi postes: altum silentium late incumbit. Quae simulac adspicit, praescia damni,

Non expectato respectu cladis amictus
Conscidit et fractas cum crine revellit aristas (1).

Haerent vox et lacrymae (2): titubante gradu dum muta pererrat atria in telam oculos figit, ubi, horrendum dictu,

Divinus perit ille labor, spatiumque relictum
Audax sacrilego supplebat aranea textu.

Nondum tamen lacrymae obortae! tantum ingeminat moesta in fila oscula, atque veluti mater filii perempti vestes aut reliquias recenti luctu tractat (III, 161),

Attritosque manu radios proiectaque pensa
Cunctaque virgineo sparsa oblectamina ludo
Ceu natam pressit gremio, castumque cubile
Desertosque toros et sicubi sederat olim,
Perlegit.

Tandem Electrae nutrici occurrit, quam adloquitur post longos rhetoricae declamationis ambitus, qui procul absunt ab eloquente Ovidii simplicitate:

Nec mora, me miseram! filia, dixit, ubi es? (3)

Haec quidem Nostro oculis obversata, quin tamen animadverteret perconctationem illam « heus, ubi nunc est nata mihi »? coeteris omnibus fuisse praeponendam.

Postquam de filiae raptu certior facta est, stupore prius perculsa non Electrae sibique credit, quasi singula nondum

---

(1) III, 150. Haud secus apud *Ovid.*, Met. V, cap. 13:

. . . tamquam tum denique raptam
Scisset, inornatos laniavit Diva capillos.

(2) Τὰ μὲν οἰκήϊα ἦν μέζω κακὰ, ἢ ὥστε ἀνακλαίειν, *Herod.*, III, 14, qui idem contigisse Psammenito, Aegyptiorum regi, tradit. Cfr. *Ovid.*, Epist. Saff. « Et lacrimae deerant oculis, et verba palato »; *Dante*, Inf. XXXIII, 94; *Ariosto*, XXXIII, 112; *Tasso*, XVI, 36.

(3) Fast. IV, cap. 3.

fuissent transacta (1); dehinc dolore insaniens, in Superos furore corripitur ac violento animi impetu invehitur, qui Didonis vel Armidae aestui propemodum accedit (2). Furor autem in preces dilabitur, quae tametsi in priore parte Ovidianae imitationis referunt colorem (3), suavissima sunt pietate perfusae, ob teneram potissimum in Latonam apostrophen (III, 306):

> . . . nosti, quid sit Lucina, quis horror
> Pro genitis et quantus amor, partusque tulisti
> Tu geminos: haec una mihi,

ubi matrem graphice expressam habemus. Verum quum Ceres, silentium Diis servantibus de Proserpinae raptore, in omnes terras proficisci constituit, filiam quaesitura, quid ineptius huius itineris descriptione? Haec locorum recensio coram Coelestibus, unde nimis disertus atque eruditus Cereris dolor evadit, parum congrua imo absona videtur, et quia huiuscemodi, paene dixerim, programma vel syntagma, ὕστερον πρότερον genus redolens, rei momento officit, et quia non erat hic locus coram omnibus testari (III, 316):

> per devia rerum
> Indefessa ferar: nulla cessabitur hora.
> Non requies, non somnus erit, dum pignus ademptum
> Inveniam etc.

Ira enim et dolor animum fere obcaecant, et saltem prohibent quominus, quae gesturi simus, antea occupemus. Poetae potius erat, non Cereris describere quomodo ipsa, ut Ovidii verbis utar (Fast. IV, cap. 3),

> Sub Iove duravit multis immota diebus,
> Et lunae patiens et pluvialis aquae;

at fortasse consulto hic Noster Cereris errores in compendium redigere studuit, ne postea alibi eos enarrare coge-

---

(1) Cfr. *Ovid.*, Met. V, cap. 14:

> Mater ad auditas stupuit, ceu saxea, voces,
> Attonitaeque diu similis fuit.

(2) *Virg.*, Aen. IV; *Tasso*, Ger. XVI.
(3) « Quod rapta, feremus », Met. V, cap. 14.

retur. Hoc tamen artificium, quo brevius Noster expediret alteram fabulae partem, fortasse et ipse ratus immensum esse erratas dicere terras (1), male Nostro contigit, quippe quod nec inventione laudandum, nec satis idoneum ad describendas Cereris peregrinationes, cui, Ovidio auctore, « quaerenti defuit orbis » (2).

Cereris dolor iam inde, quum iter ipsa ingreditur, in furorem concessit. Dea enim, quemadmodum apud hymnum Homericum, Orphicos poetas, Euripidem atque Ovidium omnia leto atque siccitate absumit, ita apud Nostrum arbores paene amens frangit. Qua quidem in re laude dignus mihi videtur Claudianus, qui Ovidium non modo imitatione noluit exprimere (licet sciam Kretschmannum (3) hoc crimini Nostro vertisse), verum etiam a nimia illius luxurie sese abstinuit, si nonnulla eximas, quae, a divina Cereris persona abhorrentia, haud parum ei officiunt. Quum enim, ut faces (4) sibi strueret ad Proserpinam quaerendam, geminas cupressus securi caedit, et (III, 376)

> . . . pernix invadit utramque
> Cincta sinus, exserta manus, armata bipenni
> Alternasque ferit totisque obnixa trementes
> Viribus impellit,

nonne gravior hic nisus fidem facit, Deam in inelegantem

---

(1) V. *Ovid.*, Fast. IV, cap. 3; Met. V, cap. 13:

> Quas Dea per terras, et quas erraverit undas
> Dicere longa mora est.

(2) Met. V, cap. 13.

(3) Op. cit., p. 189. Adiicit insuper, p. 190: « Vielleicht fand unser Dichter demnoch in der Folge der verlohren gegangenen Gesänge Gelegenheit, dies alles nachzuholen; denn mehr als wahrscheinlich stellte er da die Nymphe Arethusa auf, die bei der erzürnten Göttin für das schuldlose Land um Schonung bat, und ihr bei der Gelegenheit verrieth, wo sich itzt ihre Tochter befände ». Mea quidem sententia non licet ex illis, quae in Ovidio reperiuntur, inferre quid facturus sit Noster. Coeterum, quum adhuc in incerto sit, utrum a Nostro poema de industria fuerit inexpletum, an temporis iniuria mutilum ad nos pervenerit, nihil huiusmodi censeo esse coniiciendum; alioquin omnia vitia, quae poemati insunt, commodiore hac apologia adhibita, essent excusanda.

(4) Taedas mythi elementa esse, nemo est qui ignoret. V. *Ovid.*, Fast. IV, cap. 3.

lignatoris figuram iam iam descivisse? Item dicatur quum poeta suo nimis genio indulget in describendo quomodo non divina ope sed quidem hominum ritu eas arbores in summam Aetnam translatas in ignivomi montis fauces iniecerit; quae uno temporis puncto erant absolvenda et breviter enarranda, uti iam Ovidius praestiterat (1), ne lectoris risus moveretur. Si enim Ceres, inocciduas manere taedas iussit, ne deficerent tantis erroribus, quid post reliqua miracula fuisset Deae arduum? Verum his praetermissis (quamquam non satis constanter, iure cum Gesnero dixerim (2), mentiendi tenorem servat Noster), comparatio illa sub finem non est praetereunda inter priores annos, quum Proserpina eius decus prima et postrema voluptas et grata matris superbia extaret, atque hos novissimos dies omnibus gaudiis expertes; unde moestissima illa consideratio exoritur, quae et apud Aligherium nostrum:

> . . . nessun maggior dolore
> Che ricordarsi del tempo felice
> Nella miseria (Inf. V, 121).

Heu mater infelix! « Non tales gestare tibi Proserpinae taedas — *Sperabat* » (3). At Iupiter ita voluerat; imo sua Ceres imprudentia effecerat, ut filia abriperetur. Hic tamen laudandus Noster, a quo Ceres antea in Deos invecta nunc se ream confessa inducitur, adeoque per κάθαρσιν fit ἑαυτὴν τιμωρουμένη (4). Enimvero animus tibi perstringitur, quum Deam videas filiam sibi ademptam crebris addubitationibus conqueri atque illacrymari, orbem longe lateque explorare, ut eam recipiat; eamque comitaris, donec taedae longe

---

(1) Met. V, cap. 12:

> . . . illa duabus
> Flammiferas pinus manibus succendit ab Aetna.

Et Fast. IV, cap. 3:

> Illic accendit geminas pro lampade pinus.

(2) V. ad v. 355 consul. Stilich., lib. III.

(3) III, 407. Color hic totus a *Statio*, VI, 138 depromptus. V. meam de Cl. Cl. fontibus dissert., p. 123.

(4) Cfr. « Accipe, quas merui poenas, etc. », III, 425.

emicant, gemitusque moerentis cum Scyllae canum latratibus confusi in alto aequoris silentio conquiescunt (1).

VII.

DE VENERE, MINERVA ET DIANA

Post nobilissimam Cereris figuram secundas obtinent partes Venus, Pallas et Diana, quae tamen vividis itemque suavibus coloribus pinguntur. Quorsum autem spectat haec Dearum societas? Callida Dionaea inducitur, ut ex Iovis consilio Proserpinam illudat, atque raptori obiiciat; quo perfecto et suo fungitur munere. Coeterae, quas iussu parentis Venus sibi socias adiunxerat, doli ignarae, cui inservirent, non solum mirantur, quum terra mugit nuntia Plutonis adventantis, sed et raptorem reprimere conantur (II, 205). Post vero vividiorem picturam, in qua Minerva, Plutonem acribus verbis aggressa, vehementer erat percussura, nisi Iupiter fulmen torsisset, confessus socerum; post frigidiusculam orationem, qua Diana Proserpinae valedicit, nostrae Deae subducuntur, nam, quemadmodum nos Electra docet (III, 245):

..... voto rediere peracto,
Nec mansere Deae.

Mirum quantum hic Dearum interventus doctorum ingenia torserit, qui in diversas sententias abierunt. Iudicium autem, quod Scaliger olim protulit (2), quum ait non recte Claudianum Veneri Palladem addidisse; Dianam vero etiam ridicule, utramque virginem, aetate hac nostra detrudendum censeo. Non enim criticus animadvertit Minervam et Dianam prorsus fraudis inscias esse, quam Iupiter et Venus struxerant; quippe etsi Electra omnes hasce Deas in Proserpinae ruinam coniuravisse profitetur (III, 198), id contigit,

(1) Memoratu dignum, finem Claudianei poematis redolere initium errorum, quos Ceres apud *Ovid.*, Fast. III, cap. 3 adiit.
(2) Poet. VI, cap. 5.

quia ignorabat Nympha Plutoni Palladem et Dianam obstitisse missumque a Iove fulmen (1). Si autem Venus tantum rea habenda, uti manat ex Proserpinae verbis, solam hanc Deam incusantis ac deprehensas serius artes (III, 366), cur poeta in rem suam hanc Dearum societatem invexit? Scaliger ipse, ratus a viro doctissimo id nequaquam temere factum, nactus erat apud Diodorum in V° fabulam, Dianam nempe, Minervam, Proserpinam socias in Sicilia flores legisse, atque vestem Iovi confecisse; quibus nunc Claudianus Venerem adiunxit ob futuras nuptias; eademque indicia in Flacci Argonauticis (V, 344), atque in Statii Achilleide (II, 150) suppetere. Quae quidem per se non absurda: scitius tamen rem tetigisset, si Euripidis mensionem iniecisset, qui, uti quondam monui (2), praecipuus fons a Nostro hic fuit adhibitus.

Attamen criticae obstant rationes, quominus ad nostram Dearum societatem explicandam hisce tantummodo nitamur coniecturis. Et revera si ea, quae supersunt vetusta artificum opera, adeas, liquido constat sive in iis, quae italice *Terracotte* appellantur, in Locride Epizephyria repertis, sive in nummis, quemadmodum in Nysae typo inspicere fas est, Proserpinae raptum primo initio formam simpliciorem induere: Plutonis enim ac Proserpinae tibi unicae obversantur figurae. Quod quidem adamussim congruit antiquissimae huius fabulae fictioni apud Homericum poetam, ubi tres illae Deae adhuc desiderantur (3). Postea vero, quo magis ars a prisca simplicitate recedens ornamenta studiose sectatur, vix artificem reperias, quin hasce Deas in Raptu effingat, quamvis quisque, in ipsarum praesentia interpretanda suis rationibus obsecutus, modo Plutoni propitias, modo infensas exhibeat. Non secus apud poetas. Si enim in hymno Homerico, ut ad raptum via muniretur, satis fuit

---

(1) V. *Förster*, p. 281.
(2) V. meum de Cl. Claud. fontibus opusculum, p. 15.
(3) Versum 124:

Πάλλας τ' ἐγρεμάχη καὶ Ἄρτεμις ἰοχέαιραν

esse expungendum iam monuit gravioribus argumentis innixus *Förster*, p. 35, adn. 3.

Narcissus, cuius capta odore longius ab oceani Nymphis Proserpina processit, in poesi deinceps orphica aliquid maiore arte arcessitum requirebatur, ac Narcissus primo violis, iam quidem omni penitus significatione carentibus, mox callidae trium Dearum industriae concessit. Quae, in Orphicorum carminibus primum hanc contra Proserpinam societatem ingressae, et apud Euripidem (1) reperiuntur; licet tragicus vates, theologicis suis rationibus indulgens, potius quam contaminationem, quam aiunt, hymni Homerici atque Orphicorum carminum aggressus, Dearum interventum in aliam fictionem convertat, Dianam nimirum ac Minervam exhibens Plutoni aversatas; Venerem autem apud Cererem pacatricis partes tuentem.

Si quis autem a me petat, quomodo nova haec additamenta in fabulam pervaserint, causam accipio atque aio: quod ad Venerem attinet, quoad longissime potest mens mea respicere spatium praeteriti temporis, a Paride inde usque repetens, omnibus milesiis fabulis ista Dea inest, praecipue ubi de fraude agatur (2); quo factum est, ut veteres, etymi legum parum solliciti, vel Πάφιαν nomen ab ἀπάφω derivarent (3). De reliquis autem Deabus nulla prorsus Claudianeae fictionis ratio est habenda, ex qua Venus, doli causa, illas sibi comites adscivisset: nemo enim est, quin sciat vel ab antiquissimis aetatibus eas fuisse apud mytologos Proserpinae socias adiunctas, quippe quibus com-

---

(1) Orphicam fabulam Euripidi innotuisse auctor est *Förster*, p. 52.

(2) V. Il. III, 390. *Bordelius* ad v. 213 « Iupiter wendet sich an die Venus, weil diese in allen lebenden Wesen den süssen Trieb zur Vereinigung u. zur Liebe hervorruft, dass sie doch die Proserpina zur Liebe überreden möchte ».

(3) *Creuzer*, Symbolik IV, 200: Ich will nicht dabei verweilen dass die Griechen in der Venus schon den Namen nach (πάφια von ἀπάφω) eine *Täuscherin* suchten (Stephani Thes. lat. gr. I, p. 1878). Nach allen Bisherigen bedarf es keiner gezwungenen Etymologie, um auch hier wieder die uns nun bekannten Bilder von einer kosmischen Tauschung zu erkennen, von einem Trug der Sinne, der aufsteigt u. zerrinnet beim Wechsel zwischen Tod u. Leben. Haud secus *Welcker*, op. c., p. 80, adn. 98: Vielleicht sollte aber ἐξάπαφον ein Wortspiel mit Paphia bilden, sowie man umgekehrt mit diesem Namen scherzweise auf ἀπάφω angespielt hat. Wie anders in Homerischen Hymnus, wo die Narcissen täuschen!

munis erat virginitas (1); tamquam vero λευκὰς Κόρας in oraculis adhibitas ac quidem consociatas, uti a Suida atque Io. Tzetze arguas; denique, Welckero suffragante, in Eleusiniis misteriis veluti in unum coaluisse corpus, unde fortasse « ternas Hecate variare figuras » apud Nostrum originem duxit (2). Ad haec si teneas Venerem, Palladem et Dianam una cum Proserpina vel Κόρα, Diodoro auctore, ad sanctissimas divinitates pertinere, in Sicilia potissimum excultas, iam coniectura licet augurari, Siculum mythum difficile eam societatem fuisse renunciaturum. Quod vero ad poetas attinet, profecto pro suo uniuscuiusque consilio licuit vel ad antiquiorem atticam fabulam, eamdemque simpliciorem, sese accommodare, quemadmodum Ovidium videmus, nec in Met. V, 346, sq., nec in Fast. IV, 419 sq. prorsus de trium Dearum societate verba facientem; vel Orphicae fabulae, quae hanc invexerat, vestigiis inniti, uti Claudianus praestitit. Qui quam mordice recentioribus huius fabulae elementis haeserit, pronum est colligere, quippe quae non tantum, ex Kretschmanni sententia (p. 193), efficerent, ut nihil in Proserpinae Plutonisque figurarum compositione desideraretur, sed etiam personarum numerum, proinde poematis telam augerent; atque ita ansam vestibus describendis (3) nec non orationibus praeberent. Haud equidem infitior Nostrum hic acute sensisse, utpote qui sibi res non se rebus subiungere conatur. Et revera ex illa Dearum societate colores sumit, qui interdum poemati lucem vitamque conciliant; Venus nempe inter Deas sanctissima castitate insignes eo facilius potest Proserpinam suis de-

---

(1) V. II, 207 « Stimulat communis in arma — Virginitas ». Iure coniicit *Preller* « Was ursprünglich so wenig in Sinne des Mythus, als in der Bedeutung des fortan vorzugweise von der Persephone gebräuchlichen Namens, Κόρη, lag ». Dem. u. Pers., p. 85.

(2) Wahrscheinlich drei Verwandlung der Kora. — *Welcker*, p. 80. So bei Statius: Si te tergeminis perhibent variare figuras. Sonst versteht man in diesem Stellen die tria virginis ora, die Hecate tergemina oder triformis der bildenden Kunst. — ib. adn. 97. Aliter de Hecate Claudianea sensit *Gesner*, ad I, 15.

(3) *Friedländer*, op. cit., p. 28: Auch seine mythologischen u. allegorischen Marionetten behängt er (Claudian) mit schönen Kleidern, und beschreibt die Stickereien darauf ausführlich.

cipere dolis; Minerva vero et Diana, Raptori contra obnitentes, suspensum tenent lectorem, incertum quo tandem res evadat; dumque Proserpinae fovent partes, miserationem in Raptam magis atque magis excitant: ecquid luminum non fuisset toti operi accessurum, si poeta non solum primoribus lineis illas Deas finxisset, verum etiam graphice expressisset, arctius cum re illas componens? Quae omnia si diligenter animo pervolvas, perficere confido, ut mecum affirmes Scaligeri sententiam de indecora trium Dearum societate serio, uti supra innuebam, non esse iam accipiendam.

VIII.

DE RELIQUIS POEMATIS PERSONIS

Quum Ceres mutas pererrans aedes in Electram incurrit, his eam aggreditur verbis (III, 190):

Quo Cyane? Volucres quae vis Sirenas abegit?

Tunc prisca nutrix moerore simul metuque confecta vix refert (III 245):

. . . Mediis invenimus arvis
Exanimem Cyanen. Cervix redimita iacebat
Et caligantes marcebant fronte coronae.
Aggredimur subito, casus scitamur eriles —
Nam propior cladi steterat, — quis vultus equorum?
Quis regat? Illa nihil, tacito sed laesa veneno
Solvitur in laticem. Subrepit crinibus umor,
Liquitur in roremque pedes et bracchia manant
Nostraque mox lambit vestigia perspicuus fons.

Cyanis autem mentio, huius ancillae, quae, uti iam lepidus vir Kretschmann monuerat (p. 194), nescis utrum formidine perculsa an nimia teneritate perfusa, in fontem diluitur, perobscura fuisset, nisi nobis mythus vel potius elegantissima apud Ovidium methamorphosis innotesceret, ex qua haec Nympha frustra Plutonis iter morata, postquam in gurgitis ima contortum Tartarei regis sceptrum sensit,

. . . raptamque Deam, contemptaque fontis
Iura sui moerens, inconsolabile vulnus
Mente gerit tacita, lacrymisque absumitur omnis:
Et quarum fuerat magnum modo numen, in illas
Extenuatur aquas, etc. Met. V, cap. XI.

Nihil huiusmodi apud Nostrum; quo fit, ut Claudianea metamorphosis licet ad Ovidii exemplum prorsus composita (1), incomperta tamen causa, nova accidat et praeter opinionem evadat. Sane concedo post Ovidii lectionem quodam mentis nisu fieri posse ut « caligantes coronae » atque « tacito laesa veneno » Plutonem iracundum in Nympham se praebuisse fortasse tibi prodant (2); non me tamen fallit eadem haec verba aliter a Gesnero intellecta, qui fumo piceo currus Plutonii prius Cyanem obnoxiam, mox tacito veneno laesam, per methonymiam, loqui prohibitam interpretatur. Fortasse autem consulto Cyanem Plutoni obnitentem silentio praetermittere voluit Noster, quia has partes iam Palladi ac Dianae commiserat: nihilominus nemo est quin sentiat duo eiusmodi episodia, inter se congrua, una conseri potuisse, quin alterum alteri officeret, quum praesertim ne chronologicae quidem obstarent rationes: Deae enim Plutonem raptu Proserpinae, Cyane vero currum prohibere reditu studuerat. Quapropter eo magis poeta culpandus, qui haec praetervolans, Cyanem nympham in inane idemque obscurum mythologicae eruditionis studium commutavit. Sed « non omnes eadem mirantur amantque », docet Horatius (Ep. II, 2, 58); atque iure vel ipse sentio, qui in meo quolibet iudicio proferendo in diversam prorsus a Walchio (p. 48) abii sententiam. Non enim modo Germanicus hic Claudiani arbiter laudat Nostrum, quod cum

---

(1) Cfr. potissimum cum Nostro *Ovid.*, Met. V, cap. XI.

Primaque de tota tenuissima quaeque liquescunt
Caerulei crines, digitique, et crura, pedesque
Nam brevis in gelidas membris exilibus undas
Transitus est: post haec humeri, tergumque latusque,
Pectoraque in tenues abeunt evanida rivos.
Denique pro vivo vitiatas sanguine venas
Lympha subit, restatque nihil, quod prendere possis.

(2) Ita et *Förster* haec Claudiani verba interpretatur, p. 93.

iudicio in re antiquissima versatus est, Cyanis interitum hoc loco enarrare praetermittens, sed etiam eo usque procedit, ut admiretur curam in tractanda fabula a poeta adhibitam, ne quid fabulosum et veritati maxime contrarium proferret, nosque taedio afficeret. Scilicet tamen Cyanis mentio interposita: neque profecto is ero, qui historica fide hanc fabulam dignam, haud secus ac totum poema autumem; nec si sciam, ausim dicere, ut Livii verbis utar. In promptu Walchii responsum: « Sed fortasse rei seu actionis ipsius narrationem nulla alia re retinere, eaque de causa Cyanis fortunam Electrae narrationi inferre voluit poeta ». Censeo tamen, meo quidem iudicio, scitius poemati consuluisse Nostrum, si suo quidem loco Cyanis vices stetissent, quae propior cladi fuerat; impensiusque rei suae provisisse, si huic metamorphosi maius lumen fuisset admotum (1).

Venio ad alteram responsi partem, ad Sirenes nempe, quae cantu Proserpinam solantur (III, 205). Pergit Electra (III, 254):

. . . rapidis Achêloides alis
Sublatae Siculi latus obsedere Pelori
Accensaeque malo iam non impune canoras
In pestem vertere lyras; vox blanda carinas
Alligat, audito frenantur carmine remi.

Ne quis autem miretur Electram ne unum quidem verbum de ipsarum metamorphosi in aves fecisse, virginis os gerentes, quemadmodum ex Ovidii fabula et ipsae post Raptum optaverant; callide enim poeta iam ante Proserpinam raptam alis instructas eas effinxerat (2); idcirco, brevi tantum, sed obscura (3) tamen Sirenum iniecta mentione, Electra suo functa est munere.

Sed iam omnes Nymphae discesserunt:

Sola domi luctu senium tractura relinquor

(1) Iam *Koenigium*, p. 56, proleg. non effugerat Nostrum hic obscuritate laborare.

(2) Cfr. « volucres Sirenes », III, 190; nec non « rapidis alis sublatae », III, 256.

(3) Iure *Koenig*, p. 56, prol. de Cyanis in fontem mutatione, Sirenumque fatis affirmaverat adeo obscura haec esse, ut ex illo quidem loco vix possint intelligi.

exclamat Electra (III, 259); sola et nobis reliqua est ex Claudianeo poemate persona. Misera haec nutrix, grandis natu, quamvis secundas prorsus partes sustineat, earum instar mulierum, quae in scenis consiliorum consciae exhibentur, non tantum rei, quantum poetae est accommodata. Proserpinam vel a teneris unguiculis summo prosecuta amore, quippe quae (III, 173)

. . . post cunabula dulci
Ferre sinu summoque Iovi deducere parvam
Sueverat et genibus ludentem aptare paternis,

eadem ac Ceres pietate colebat. Alumnae custos relicta, dum Ceres in Phrygiam contendit, Proserpinam precibus fatigat, ut Hennae campis eam prohibeat, ad quos Venus invitabat: ruit tamen Cereris filia; quid enim in lubricam moribus aetatem preces lacrymaeque possunt? atque ita pignus nutrici a Plutone ademptum. Haec breviter Electrae vices, quae sane rem non impediunt, neque accelerant. Attamen Nostro perutilis Electrae fuit persona. Complures enim extabant memoriae, quomodo Cereri raptor innotuerit: Homericus poeta, qui fortasse nativo quodam inventu omnibus longe antecellit, scite effinxerat Solem, qui diurna facta videt, certiorem de Plutone Cererem fecisse; quod quidem Ovidius, iam Callimachum secutus (1), imitatus est. Ex Orphicis vero carminibus Proserpinae κάθοδος per Eubuleum ac Triptolemum, Dysaulis liberos, forte armenta prope pascentes, Cereri fuerat indicata; ex Ovidio denique (Met. V, cap. XIII), per Arethusam, quae, dum ex Elide in Siciliam sub terris labitur, apud Stygias cavernas Proserpinam conspexit Averni reginam (2). Quae quidem digna Noster imitatione ratus, utpote rei necessaria, non scilicet praetermisit; verum ut aliquantum a veterum poetarum vestigiis recederet, Electrae personam excudit, per quam prima raptoris inditia Cereri suppeditantur. Neque ad id tantum Electra poetae usui est, sed aliis quidem ra-

(1) Fast. l. c. V. *Förster*, p. 77; et meam dissert. *De Cl. Cl. fontibus*, p. 19.

(2) Arctiores tantummodo adduco fontes, a quibus Noster non fuit alienus. Quapropter *Apollodorum* praetergressus sum, ex quo (βιβλιοθήκη I, 5) raptum Ceres ab Hermiones incolis accepisset.

tionibus conducit. Quum nimirum Noster in incerto versaretur, utrum Proserpinae raptus esset omnibus cum rerum adiunctis tunc temporis exhibendus, quo acciderat, an huius facinoris illic mentionem tantum ipse interponeret, caetera Electrae deinde narrationi ingereret, commodiorem viam sibi elegit: neque inficias iveris, eum poetica calliditate satis se instructum gessisse (1). Non igitur mirari subest, si Electrae figura non affabre a Nostro sit expolita, quia ad haec potissimum poetae consilia explenda unice arcessita, in caeteris prorsus incuria obruitur. Concedo utique prima huius personae lineamenta suavibus quibusdam coloribus non carere, quum videlicet eam proximam matri a Proserpina habitam memorat Noster (III, 205):

. . . sermonum gratia mecum
Mecum somnus erat cautique per atria ludi

vel eloquenti percitam affectu narrantem inducit (III, 243),

. . . lux redditur orbi — Persephone nusquam,

vel denique orbitatis metu ictam exibet (III, 193), quae

..... aspectus miserae non ferre parentis
Emptum morte velit longumque immota moratur
Raptorem dubium certumque expromere funus.

Caetera vero frigidiuscula, vitiosa sunt, vel in patulum orbem concidunt. Quapropter Electra rudimentum tantum figurae suppetit, quod pro re nata potuerat Noster et rectioribus lineis designare et vividioribus pigmentis, proportionis lege adhibita, absolvere, dummodo, suo quidem iure senserat Kretschmann (p. 19), qua par erat patientia et voluntate Claudianus usus esset.

IX.

ORATIONES

Si quis autem a me petat quomodo omnes, quas hactenus

(1) V. *Koenig.*, p. 56, proleg. « Longam Electra narrationem incipit earum rerum, quae partim in scena iam erant actae, partim agendae potius, quam narrandae, fuissent ».

recensui personas, loquantur, certum est quid respondeam: fusa ac profluenti loquacitate eas nimium peccare. Aristotelis praecepto abusus, ex quo personae crebro eloquentes sunt inducendae, quae rem agant, saepius, quam par erat, orationibus indulget, ratus et telae hac quidem ratione incrementum, et maius rei momentum accedere. Quam vero pleraeque orationes inopportunae nec non infelices evaserint, unicuique compertum erit, si a Walchii (v. p. 64) nimia admiratione recedens, sine ira et studio, mecum per singulas discurrere velit. Etenim ut a Lachesis oratione (1ª) exordiar (I, 56), prior pars usque ad v. 63 ferme hymnum in Plutonem continet, ea Orphicorum sententias redolens, quae ex Orphico hymn. XVIII εἰς Πλούτωνα, atque ex Gesneri commentariis ad 5,525, elicere queas: adeo ut fere sui oblitus consilii Noster sub Lachesis oratione in suis ipse doctrinis luxuriari studeat. In altera vero parte (v. 63 sq.), ubi reapse incipit, repente clauditur oratio; quae, responsu inter se partium carens et parum ad rem consentanea est dicenda, quippe Pluto non erat per ancillam placandus.

2ª. Plutonis contra ad Mercurium oratio prospere Nostro contigit, tamquam mirum affectuum exemplar, si tantummodo excipias versus, in quibus Pluto, ira flagrans, quin extemplo animum suum prodat, immoratur in recensendis Mercurii qualitatibus: quae quidem descriptio scitius fuisset reponenda, ubi poeta hunc Deorum nuntium advenientem describit (I, 77)

> Cyllenius adstitit ales
> Somniferam quatiens virgam tectusque galero.

Quemadmodum enim hic suo quidem loco illa foret, ita in Plutonis verbis dissonam esse nemo est quin percipiat. Pulcherrimum igitur cum Walchio (p. 48 sq.) et nitidissimum Plutonis sermonem affirmo; non tamen omnia in eo placere, atque eo minus iucunda esse contendo. Claudianum deinde miraberis, quod a prisca epici poematis lege digressus, quae ex eius aetatis rationibus poscebat mandata iisdem penitus verbis referri, quibus data, Mercurium non exhibuerit, Plutonis dicta denuo Iovi recitantem: at mihi

concedes, fortasse te quoque malle in iis, quae sequuntur, Cererem summa cum voluntate filiae valedixisse, quam Siculam terram rhetorice tantum alloqui, quum ad Phrygiam iter Dea carpit.

3ª. Ad Iovis cum Venere orationem gradum nunc facturus, non nimis a vero discedam, si affirmaverim melius fuisse Nostro, si oratio tunc absolveretur, quum Iupiter ait :

Coge tuis armata dolis (I, 220).

Hic enim de consilio agebatur cum Venere communicando, quod aliquandiu Iovem sollicitum tenuerat : solemnis igitur ac rapidus sermo erat adhibendus ; ecquid autem comminiscitur Iupiter fraudes

..... quibus urere cuncta
Me quoque soles. Cur ultima regna quiescunt ?
Nulla sit immunis regio nullumque sub umbris
Pectus inaccensum Veneri

ecquid ? inquam. Quorsum haec Veneri tam vehementer commendantur, perinde ac si coelum Averno permisceri debuerit, ut tandem ea uxor Plutoni nuberetur, quae « Iampridem est decreta dari ? » (I, 217). Satis igitur erat, Venerem fati vel Iovis decreta perficere, ut reapse praestitit, quin caetera apud Manes perturbet. Haec aliaque id genus unicuique consideranti, mirari suberit, quomodo tam fuse Noster hic se se gesserit : argumenta quaere, si qua potes. Haud tamen difficile cognitu, oratoriis frondibus excussis, novissimos hos versus uberius explicare unicum illud Iovis consilium, quod graphice et Ovidius refert : « Iunge Deam patruo » (Met. V, cap. XI) ; cur autem eo Noster se abripi passus est, ut amplius polliceretur, quod esset daturus ? Currente rota, cur urceus exit ? uti Horatius monet. In promptu responsum est. Mea quidem sententia censeo Claudiano obversatum fuisse locum illum communem tanta suavitate ab Ovidio perfusum, ubi Venus Cupidinem amplexa hortatur, ut eius imperium vel apud Ditem proferat, quippe agebatur pars tertia mundi (Met. V, cap. 10) ; Nostrum vero occasionem non praeteriisse, ut haec eadem exprimeret

imitatione, quemadmodum apertissime manat, si utrumque poetam conferre volueris (1).

At non erat nunc his locus! ut enim Veneris ad filium oratio mirum in modum congrua, tamquam causa agens Raptus, ita Iovis ori ingesta haec imitatio absona atque inficeta fit.

4ª. Hennae ad Zephirum sermoni non venustatis notam abnuerim, etsi inveniendi vis potissimum desideratur: primae enim Homerico vati sunt deferendae, qui Gaiam iam invexerat in flores emicantem. Nativum tamen leporem Nostro denegandum puto, quod longe eruditam anthologiam Henna excudit (2). Haec autem ad Zephyrum oratio tibi prodit iam iam Deas imminere; et revera Venus comites invitat, ut per florida rura discurrant; quae dum peraguntur, rapitur Proserpina curru. Tunc Minerva et Diana loquuntur, feri raptoris crimine exacerbatae (5ª, 6ª). Prior quidem vehementer in Plutonem effertur, ubi irae causa solum excepta, fortasse ab Ovidio deprompta, quum ait « at neque Persephone digna est praedone marito » (Fast. l. c.), caetera omni prorsus animi impetu sunt destituta. Diana autem Proserpinae valedicens in rhetoricam declamationem concedit, in qua multum quidem poeticae artis, coloribus tamen a Statio ductis (v. m. font., 108), nihil vero doloris reperias. Melius igitur, si hasce orationes praetermisisset Noster, quum praesertim liceat assequi coniectura, Plutonem, post raptam Proserpinam tam repente aufugisse (3), ut eiusmodi querelae aura dilapsae sint.

7ª. De erudito Proserpinae conquestu iam supra monui; paucis igitur hanc orationem nunc expediam, aiens debuisse Nostrum et ad intimum animi sensum mentemque Proser-

---

(1) *Ov.* Illa, quibus superas omnes, cape tela, Cupido,
Inque Dei pectus celeres molire sagittas,
Cui triplicis cessit fortuna novissima regni.
Tu superos, *ipsumque Iovem*, tu numina ponti
Victa domas, ipsumque regit qui numina ponti:
Tartara quid cessant?
Cl. Coge tuis armata dolis, quibus urere cuncta,
Me quoque saepe soles. Cur ultima regna quiescunt?

(2) Memorantur enim: Hybla, Panchaia, Hydaspes, Phaenix, II, 79.

(3) Cfr. *Ovid.*, Fast., l. c.: et visam patruus velociter aufert.

pinae penetrare, et superflua delere: quum enim Noster temere effutientem hanc puellam inducit (II, 255):

> Non ego, cum rapido saeviret Phlegra tumultu,
> Signa deis adversa tuli, non robore nostro
> Ossa pruinosum vexit glacialis Olympum,

si aetatis Proserpinae ac personae rationem habeas, sane perspicies Claudianum hic decoris sensum penitus amisisse.

8ª. Plutonis oratio (II, 276), qua Proserpinam solari contendit, multa quidem venustate adspersa; in primis quum Pluto raptae virginis captui se se accommodat, atque originem suam suasque opes explicat, ne « indigni taedas mariti » illa doleat; itemque quum, gratum Proserpinae facturus, memorat prata floresque perpetuos ei non esse defutura; arboremque, aureis fructibus divitem, sacram illi pollicetur (1) atque immensum Ditis imperium. Quae quidem omnia Plutone digna essent, nisi nimium philosophicum redolerent colorem: complures enim doctrinae ad Chaos spectantes, ad Plutonis genus eiusque potestatem (in qua concelebranda iam Homericus poeta atque Orphici nec non Ovidius decertaverant), ad divisum denique cum Proserpina inferorum imperium, hic a Nostro congestae sunt, qui eo usque inscitiae progreditur, ut vel sententiam « Omnia mors aequat » Plutoni in sermone iniiciat, quae et Horatianam imitationem (v. m. font., 66) prodit, et orationis filum, alio deflectens, abrumpit.

9ª. Iovis sermone praetermisso, quem male Nostro cessisse iam supra vidimus, de brevi Proserpinae oratione (10ª), quam a filia matri somnianti referri Noster finxerat, nihil moror, quod poeticum Nostri artificium tantummodo sapit, sibi proponentis et locum communem de filiae in duram matrem querelis imitatione exprimere, et quodammodo portenta amplificare, quo magis Ceres ad filiam revisendam permoveretur.

11ª. Cereris ad Cybelem orationem probamus, quod matrem suae quidem imprudentiae religione prius tentatam

---

(1) Est arbos Virgiliana, Aen. VI, 136.

exhibet, mox gradatim, veluti sinistris monstris monitam, conscientiae stimulis iam iam exagitatam, exclamantem:

Si buxos inflare velim, ferale gemiscunt,
Tympana si quatiam, planctus mihi tympana reddunt.
Ah vereor, ne quid portendant omina veri!

12ª. Affabre Cereri valedicit Mater, atque brevissima huius oratio mirum quam idonea sit ad animi affectus, nimia trepidatione excitos, temperandos, adeo ut lectori quies admoveatur. Quum autem Ceres Electram compellat (13ª), videtur Noster de industria hinc atque illinc imagines collegisse, quo magis streperet Cereris clamor. Si autem haec demas « regnatne maritus — An coelum Titanes habent », ubi Ovidianum colorem reprehendas (1), nihil est quid Tiphoei, Alcyonei, Enceladi, Briarei erudita mentio intermittatur. Non sensit Noster matrem hic esse exhibendam, dilectissimae filiae dolore unice occupatam; ac propterea animum dictis exaequandum: sub finem dumtaxat matris moerentis imago Nostro recurrit, eique subiicit illud « heus, ubi nunc est nata mihi », ubi verus dolor incipit simulque desinit. Quid Electra Cereri responderit (14ª), iam nobis compertum: si tamen quae sentiam, effundere licet, complura potius hic erant agenda, quam lectori narranda.

15ª. Postremo Cereris in Coelestes insectatio, quae mox preces excipit (16ª); animi furor, quum dolor reviviscens matri errores suadet (17ª); conscientiae labor cum tenera filiae recordatione consociatus; materna denique sollicitudo (18ª), quae dubitat utrum in Proserpina, quondam grata superbia matris, permaneat priscus decor, an ille genarum fulgor squaleat, qualem in somniis vidit, tot orationum argumenta suppeditant, quae cum Cereris personam absolvunt, tum pathos mirifice augent. Octodecim igitur fere recensentur orationes in Claudianeo poemate, quod scilicet tribus tantum cantibus continetur, eaedemque vero haud multa arte expolitae, dum alia vividiora in scenam potuis-

---

(1) Cf. Fast. IV, cap. III:

Quid gravius victore Gyge captiva tulissem,
Quam nunc, te coeli sceptra tenente, tuli?

sent ipsarum loco deferri, ex quibus operis dignitas magis censeretur, quam ex praesenti forma, ubi poema saepissime dialogi imaginem tantum refert.

X.

SIMILITUDINES

Nihil magis displicet, iure aiebat Kretschmann (p. 199), quam breves agelli fines, ubi innumerae fere atque omnigenae fruges coalescunt. Haud secus de Claudianeis imaginibus catervatim congestis sentiendum. Quum enimvero Pluto Lachesis precibus ductus iram restinguit, extemplo Boreae similitudo Nostro in mentem cadit, qui Aeolo adversante impetum remittit (I, 69). Quid autem haec comparatio adhiberetur, nihil erat, quippe quae et loco inepto sita et putidius tantummodo usurpata, ut ad Virgilii et Statii imitationem sese componeret poeta (1). Ruit in peius Noster, quum maternae curae exemplar proditurus, qua Ceres Proserpinam prosequebatur, bovis et vitulae similitudinem in medium attulit (I, 127), de qua quidem adeo mirabatur Kretschmann, ut non posset sibi in animum inducere, quomodo eo Noster processerit. Sed fortasse rem tangere videor, si perhibeam, Nostrum hic Ovidianam imaginem suam fecisse (Fast. IV, cap. 3):

> Ut vitulo mugit sua mater ab ubere rapto
> Et quaerit foetus per nemus omne suos — Sic Dea...,

licet ad suam prorsus rationem accommodaret: contendo tamen neutram comparationem nobilitate esse commendandam.

Venus, Minerva et Diana Proserpinam conveniunt; et semita divino incessu micat, veluti cometes sinistrum laturus augurium (I, 230). Magnarum tamen calamitatum non esse hasce Deas praenuntias, re bene perpensa, nemo

---

(1) V. meum opusculum *De Cl. Cl. fontibus in Rapt. Proserp.*, p. 95.

est quin videat. Pudore fit ut Proserpina suffundatur ob improvisum Dearum adventum? en tibi vulgatissima eboris et ostri similitudo, a Statio potissimum deprompta (v. meos fontes de Claud. Rapt. Pros., p. 103). Naiadum Proserpinam comitantium mentio iniicitur? Extemplo Virgiliana Amazonidum comparatio Nostro recurrit (v. m. font. p. 49), quam incautius cum Maenadum imagine componit, quum nulla prorsus inter laetam Nympharum cohortem flores quaerentium (1) et belligerum Thraeiciarum vel furens Maenadum agmen analogia intercedat. Modum vero Noster excessit in Hennaei soli descriptione, eo splendido florum ornatu renidentis (II, 95), ut nec Parthica cingula gemmis distincta, neque purpura Tyria, neque pavonis alae, neque Iridis colores prope accedere videantur; oblitus hunc comparationum cumulum simplicitati officere, unamque vel alteram satis esse, ne nimium idem ac parvum sonet (2). Abunde quoque comparationibus utitur Noster, quum de Plutone agitur. Si iter sub terris quaerat, cum milite confertur, qui cuniculos agit (II, 163); quod quidem non aliud est quam parva componere magnis. In Siciliam sceptrum contorquet? Neptunus videtur, cuius in Thessalia ictum, quum Ossa dissiluit Olympo, luculenter Noster, Lucani tamen vestigia ingressus (3), describit in II, 184:

> Carceribus laxantur aquae, factoque meatu
> Redduntur fluviusque mari tellusque colonis.

Proserpina denique potitus Pluto, Minervae ac Dianae iram despicit? et leo fit, qui iuvencam unguibus possedit: invenusta imago, si comparationis terminos, Proserpinam videlicet et Plutonem, animo metiaris; eadem ne novitate quidem laudabilis, quippe a Silio Italico (v. m. font., p. 87)

---

(1) Scitius apium imaginem redolentes has Nymphas mox exhibuit Noster, II, 124.

(2) Zu viel, ist in diesem Falle wirklich gar wenig, *Kretschmann*, p. 199. V. alia exempla apud Nostrum *De bello Getico*, 376. Caeterum huiusmodi luxuriandi mos, qui sequioris aevi notam praesefert, iam apud Ovidium haud raro reperitur. V. quod ad Nostrum propius attinet Fast. l. c.

(3) V. meos fontes, p. 81.

repetita. Visne Plutonis equorum celeritatem tibi effingere? Tam fuse Noster tibi satisfacit, ut quinque, quas in oculis ponit, imagines, velocitas nempe amnis hiberni, hastae, iaculi Parthici, Austri, mentisque sollicitae acumen, in hyperbolen nimis a vero alienam desciscant (II, 198). A simplicitate enim Noster tamquam a vitio abhorret, uti luculenter testatur quae sequitur Manium similitudo, revertenti Plutoni obviam procedentium, cum frondibus, quas Austri impetus decutit arboribus (II, 308); haud quidem incompta, nisi et imbres et fluctus et arenas poeta adiecisset.

Ceres deinde sola, poene dixerim, Nostri mentem occupat: dum igitur in Siciliam redit, cum avi comparatur (III, 142), pullis relictis metuente; quae suavis pictura, tam nativa apud Horatium, adscita vero venustate iam a Statio perfusa, in Nostro omnino fucata evadit (v. m. font., p. 115), quia ales cogitans subtilius inducitur; quod quidem nec Gesner nec Mérian probarunt (1). Serius tamen Ceres redierat: Proserpina enim iam antea rapta; mater igitur erat hic exhibenda, amissam filiam frustra invocans. Noster scilicet pastoris similitudinem refert, a Statio tamen oblatam (v. m. font., p. 117), qui « non responsuros ciet imploratque iuvencos » (II, 165). Quo scitius Ovidius (Fast., l. c.):

> Quacumque ingreditur, miseris loca cuncta querelis
> Implet; ut amissum quum gemit ales Ityn.

Ceres denique in furorem concessit; quapropter primum cum tigride confertur, cui erepti sint catuli, Statii imagine adhibita (v. m. font., 119), coloribus tamen aucta; mox faces sibi struens lignatori similis inepte effingitur (III, 363), qui navibus aptandas arbores eligit; postremo dum taedas est accensura, in Megerae figuram dilabitur. Quorsum tandem res fuisset evasura, si caeteras Cereris vices Noster esset prosecutus, qui singulis Cereris affectibus singulas fere nectit similitudines? Mirari desines, candide lector, si teneas Nostrum omni ope niti ut rem suam, nisi factis, oratione saltem augeret; quocirca epici decoris parum sollicitus, luxuriandi occasionem, ubicumque dabatur, avide arripuit.

---

(1) *Gesner*, ad h. l.; *Mérian*, p. 273, notes.

XI.

DESCRIPTIONES

Non modo similitudines, verum etiam crebrae descriptiones apertissime produnt Nostrum fabula usum fuisse, ut tantum suam ostenderet oratoriam facultatem (1). Quod quidem liquido manat statim ac in Siciliae descriptione (I, 140) Noster immoratur, quae locus sane communis est dicenda. Et revera easdem Nerei Enceladique imagines reperias atque apud Virgilium et Silium Italicum (v. m. font., 41); itemque tria capita qualiter apud Ovidium (Metam. V, cap. 10) per ὑποτύπωσιν adumbrata. In Trinacriae tamen descriptione, Nostro ignoscendum est, quia in hac terra Raptum contigisse memoriae proditum (2); quamquam, iure monuit Koenig (p. 52), operae pretium non erat Siciliae nobilitatem tantopere celebrare, quum remota aliqua latebra Cereris consilio accommodatior fuisset; quod quidem Ceres ipsa sentit, seroque profitetur (III, 120). Cur autem Aetnae insuper descriptio adiicitur, quam, tot antitheses nimia cum anxietate expromptas redolentem (3), nonnisi absurdam physicae doctrinae ostentationem, ex Lucretio praecipue haustam (v. m. font., 33), alienam ac frigidam nemo est quin sentiat? (4) Verum ecquid Nostro, qui omnis epicae rationis prorsus est incuriosus, describendi ansam non praebet? Si Ceres matrem in Phrygiam convenit, Deae currum, ut Scaligeri verbis utar (Poet. V, cap. 6), non levissime, veluti

---

(1) V. *Pauly*, Real Encycl. ad v. Claud.; *Victor Leclerc*, Nouvelle biograph. univers., ad h. v.; *Koenig*, p. 61.

(2) *Cicer.* in Verr. act. IV, 11: « Locus ipse raptum illum Virginis, quem a pueris accepimus, declarare videtur ». Cfr. *Strabon.*, VI.

(3) In antithesi patrium Claudiani ingenium declarari auctor est *Walch.*, op. c., p. 69.

(4) Cfr. quae de hac Aetnae descriptione disputarunt, praeter *Walchium*, *Mérian* Discours sur le poète Claud., p. 467, et Enlèvem. de Proserp., p. 243; nec non *Koenig*, op. c., p. 52.

Ovidius, sed ambitiosius Noster describit (1), atque ex altera ad alteram imaginem discurrens, mythi oblitus, ubicumque rotae humum sulcant, incautius flavescentem aristis fingit orbitam, quum nondum ulla frugum, culmorum, segetum mentio fuisset iniicienda; quippe haec omnia, Claudiano auctore, serius, reperta demum Proserpina, fuerant a Cerere hominibus impertita.

Brevibus Cybelis Corybantumque sede lineis designata (I, 201), Noster Siciliae picturam resumit, atque eas aedes, quae, prout Cereris erat consilium, debuerant summopere delitescere, quo melius Proserpina conspectu omnium abderetur, imprudentius a Cyclopibus quam magnificentissime extructas nitere commemorat (2). Quod quidem quam inepte Noster finxerit, statim percipias. Enimvero non iam domum firmissimam Cereri exquirendam fuisse, sed quam maxime occultam, ex hoc inferre queas, quod tot ferrati postes, ardua ferro moenia minimum praebuissent Diis impedimentum: et reapse nonne paullo post apud Nostrum ipsum legis, cardine verso, repente adesse Proserpinae Deas? — Subitus autem Dearum adventus pudicam virginem rubore perfundit, in quo describendo quatuor prorsus versus insumit Noster (3). Iam avidas aures adrigis, ut excipias cuinam operi navaret Proserpina, quum a Deabus fuit deprehensa? In promptu Claudiani responsum: telam ipsa texebat; atque hoc erat expectandum, quia argumentum hinc eruere poterat Noster, ut descriptionibus indulgeret. Quod quidem praestitit, Homeri exemplum secutus (4); licet ea, quae in inveniendo vis requiritur, destitutus Virgilianam descriptionem de quinque orbis plagis (Georg. I, 233) in rem suam derivaret. Hanc commodiorem viam ingressus, poematis fines producebat Noster: eadem ex causa illa

---

(1) Quod vero attinet ad serpentes Cereris currui iunctos v. *Bordelium*, pag. 12.

(2) I, 236. Liceat hic Philomusi coniecturam referre: In hac domus Cereris descriptione opulentissimum aliquod Deae templum poeta mente concepit.

(3) I, 271. Cfr. statii imitationem Achill. I, 304, ac meos fontes p. 103.

(4) Iure perhibet *Kretschmann*, p. 201; Vermuthlich hat Cl. hier zu homerisiren versucht; aber der Versuch ist vollig verunglückt.

quoque equorum recensio est repetenda, Plutonis currum ducentium, quibus et nomen cuique inditum (1).

II. Paucis, graphice tamen, solis ortu expresso, venustam trium Dearum divinorumque amictuum descriptionem (2) tibi subiicit Noster, fines pro sua consuetudine praetergressus. Quemadmodum enim in veste Dianae Delum filis aureis contextam effinxerat, ita in Proserpinae indumento Thetin suo gremio Solem et Lunam anhelos a cursu tamquam infantes foventem simulat poeta, tot autem coloribus hanc fabulam illinens, ut vestis peristromatis cuiusdam speciem induat (3). Quae sane frigidiuscula, nimisque a poemate aliena: haec tamen menda pensavit Noster in insequentibus descriptionibus, Hennae scilicet, Zephyri atque anthologiae, licet ab Ovidiana simplicitate deflectens, uti acute iam notaverat Scaliger (Poet. V, cap. XI), non solum prata floribus, sed flores ipsos pingere coloribus fabularum studuerit: nec praetereundus lacus Pergus (II, 111), in cuius pictura Noster cum Ovidio decertavit (Met. V, cap. 11). Terrae motus autem descriptionem prudentis erat omittere; Pluto enim haud secus atque apud Ovidium, caute ambiens Siculae fundamina terrae (Met. V, cap. 10) erat exhibendus, ne terrore perculsa puellaris cohors floribus intenta aufugeret. At Noster Proserpinae raptui magnum strepitum circumfundere cupiens, et terrae motum invexit, et Enceladum gementem sub Plutonis curru, necnon Plutonii sceptri gravem ictum, qui late circum reboat, unde

. . . . Siculae sonuere cavernae,
Turbatur Lipare, stupuit fornace relicta
Mulciber et trepidus deiecit fulmina Cyclops (4).

---

(1) I, 283. Cfr. de hisce nominibus *Gesner* ad h. l., *Kretschmann*, p. 126; Sonderbar u. charakteristich, das Pluto diesem Rosse den Nahmen eines Liebesgottes u. eines Sonnenpferdes gab!

(2) Non verosimile est Claudianum hic suae dicendi rationi in deliciis habitae, scilicet verbo « *sudare* », fuisse renuntiaturum. Et revera *sudatam marito fibulam* reperias. Cfr. epig. XXIII, 12; et *Gesner* ad Consul. Stilich. III, 94.

(3) Suo quidem iure affirmat *Friedländer*, p. 28: Claudian beschreibt eine Gattung von künstlerischen Schöpfungen, nämlich die der Nadel u. des Webstühls: welche andern hätten auch in jener Zeit eines beinahe orientalischen Kleiderprunks in so hohem grade die Aufmerksamkeit der Hofpoeten erregen können.

(4) II, 173. Huiusmodi imagines cupide captat Noster. Cfr. quum Iu-

Quum autem Pluto in orbem fraternum exiit, omnia, praesertim vero poetae mens, perturbantur, qui et astra viam mutantia et Arctum aequore se proluentem, et Booten formidine praecipitantem, pallentemque denique Atlantem excudit. Verum in hisce prodigiis Nostro luxurianti contigit, ut Alexandrini ingenii lepidam notam venustae cuidam tabulae insculperet, unde res vitam nitoremque conciperet. Claudianus nempe, cui fortasse obversabatur Ovidianum illud « Lumen inadsueti vix patiuntur equi » (Fast. IV, cap. 3), vultum suum hic servans, Plutonis equos luce territos tanta cum veritate depingit, ut revera in hisce versibus prorsus pictor evadat (II, 194)

. . . . . pressis haesere lupatis
Attoniti meliore polo rursusque verendum
In Chaos obliquo certant temone reverti.

Postremo Nuptiarum in Averno descriptionem (1), sub finem huiusce cantus Noster ingerit, ut, pro re nata, magnas Ditis figuras recensere sibi liceret.

III. Postquam vero tot calamistris, supra quam enarrari potest, superiores libros inussit Noster, nihil iam pensi habens, quod praeceperat Quintilianus (Inst. Or. X, 4), stilum non minus agere, quum delet, in tertio, huiusmodi pigmentis nonnihil temperasse videtur. Si enim Olympici concilii descriptionem demas, locum sane communem a Statio depromptum (v. m. font., p. 112), ac Cereris visa, nulla occurrit descriptio usque ad v. 332, ubi prodigiale nemus adumbratur. Quod autem in hac pictura immoraretur Noster, nihil erat, nisi forte in Statio defixus (v. meos font., p. 121) eruditionis tantummodo specimen edere voluit, potissimum tamen a mytho alienae. Et profecto, ut faces Ceres sibi eligeret ad suos errores, nec tanto opus erat apparatu, neque geminis cupressibus, neque summo nisu in taedis aptandis: minima et luxuriantia rerum adiuncta, quae cordatissimus quisque ad

---

piter tonat, In Eutrop. II, 163. Quod vero ad nos, *Spanhemius* (Callim. hymn., Ultraiecti 1697, p. 674) arbitrabatur analogiam hic intercedere inter Callimachi hymn. in Dian. 58 et Claudianum.

(1) Quod ad hanc Θεογαμίαν attinet, monuit Förster, p. 240: Claudian folgt der älteren durch die Ὀρφικὴ ποίησις beeinflussten Alexandrinischen Dichtung.

epici carminis tuendam dignitatem, praeter Claudianum, praecidisset. Qui in suo munere obeundo navum atque industrium minime se praestans, comparationes superaddens comparationibus, imagines imaginibus, descriptiones descriptionibus, carptim ac diverse rem suam tractavit, paullo inflans vehementius, ubicumque vel fontes usurpati arctius captui suo congruebant, vel quidpiam novi aut insoliti ipse pro re nata expromere poterat; quum vero itinere defessus et fortasse difficultatibus obsaeptus arduum sensit inceptum perficere, tunc repente opus interrupit.

XII.

DE CL. CLAUDIANO IUDICIUM

Si quis omnia, quae hactenus memoravi in Claudianeo poemate, diligenter inspexerit, haud dubium, quin ulli, paene dixerim, *pinacothecae* adesse sibi videatur, ubi tabulae occurrunt, haud quidem contemnendae, verum tam disiectae, ut eam harmoniam minime concilient, quae animum perfundere solet cuiusquam praestantissima opera inspicientis, affabre expolita atque miro ordine digesta. Fortasse eruditum artificem admiraris mythologicas, philosophicas, geographicas doctrinas haud mediocriter callentem (1), frustra tamen eius notam penitus in opere exculptam, quae in inveniendi vi potissimum elucet, requiras (2). Nempe in eiusmodi fabula, quae, Koenigio auctore (p. 61), tractantem rerum copia magis quam inopia urgeret, quippe variis mythis coniuncta, qui ad ornatum et varietatem pertinere possint, Noster ita est versatus, ut loco poematis vermiculatum opus concinnaret, in dicendi ratione unice ingenium

---

(1) *I. Vadianus*: Iam Raptus Proserpinae adeo insignibus montium, urbium, lacuum, amnium locis refertus est, ut piaculum mihi videatur, si quis geographiae expers, tam eruditum Poema attingat, nedum evolvat.

(2) Cfr. *Gibbon*, Hist. de la decad. et de la chute de l'emp. rom., trad. par *Cantwel de Mokarky*, Paris 1789, VII, 251; *Doullay*, Claud. op. 1837, praef.; *Leclerc*, biogr. univ.

suum periclitatus. Suo quidem iure Scaliger (Poet. VI, 5) perhibens: « Libri de Raptu Proserpinae sunt commodi, tersi, numerosi », prope rem tetigit; perinde ac si hisce virtutibus tantummodo Nostri poema commendetur. Neque aliter res contingere poterat.

Epico enim poemati pangendo Claudiani aevum minime erat secundum: Theodosius, tamquam senilis gubernator (1) diuturnis tempestatibus confectus, regendam filiis commiserat navem; ac quamvis adsentandi libidine de hoc imperatore iam in sidus mutato praedicet Noster (De III cons. Hon. 178):

> Fortunate parens, primos cum detegis ortus,
> Aspicis Arcadium; cum te proclivior urges,
> Occiduum visus remoratur Honorius ignem,

non tamen astra, sed inepti imperatores proprie sunt dicendi, quibus labans imperium contigerat. Ut primum de occidentali regione verba faciamus, quoniam Visigothorum regi Alarico Romae aditus apprime cognitus, Ravennae sedentem Honorium reperias, cuius celebrat Noster nuptias, consulatum, equos, munera; summam autem imperii Vandalum obtinentem, Stilichonem nomine, strenuum quidem, sed inhumanum ducem; in Orientali vero parte pestem illam, Rufinum (a Nostro praeter modum fucatum, atque historica ratione tamquam obrussa vindicandum), cumulo declinantis imperii mala augentem. Interea in tanta imbecillitate rerum barbari barbaris succedunt; Sarmatae, Quadi, Alani, Hunni, Marcomanni, Vandali, Gothi, Suevi, Sicambri, romani sanguinis sitientes (2), in Graecorum Romanorumque provincias irrumpunt, extremam perniciem illis populis illaturi, quorum regnum iamdudum consenescere, mox transactum acceperant. Senatus proinde auro pacem emere, vitam atque otium ab hisce barbaris gentibus impetrare, quae ubique super Romae ruinas nova excitant regna. Hac igitur labente aetate, quae ita defloret atque corrumpitur,

---

(1) V. Cl. de III Consul. Hon., 420.
(2) V. *Hieronym.*, ep. III; *Tillemont*, Hist. des empereurs, Bruxelles 1732, V, 63.

ut paene ad interitum redigatur, num quis fortasse mirabitur quod nullum iam epicum poema hoc nomine dignum provenerit, quin praestantissimo ingenio vir praeditus extaret, longe aequalibus antecessurus? In ea enim temporum difficultate illa Rerum pulcherrima Roma a pristina gloria tantum recesserat, ut memoria tantum praeteriti temporis poetarum ingenia moveret, tamquam omnis exempli documenta in illustri posita monumento tantum praeseferens unde, ut Livii felicissimis verbis utar, quod filius imitaretur, capiebat Theodosius, foedum inceptu, foedum exitu, quod vitaret (De IV Cons. Hon. 396); Claudianus vero complura derivabat, quae rebus suis scite accommodaret. Ceterum iamdudum evanuerat amor ille patrius, quo Horatius permotus, veluti divino quodam spiritu afflatus, exclamabat (Carm. Saec. 11):

. . . possis nihil urbe Roma — Visere maius:

labente in dies illa fide, qua poetae arbitrabantur numquam fore ut Romanae vires omnino se ipsas conficerent, quum Capitolium intuentes, arcem omnium gentium, eamdem ipsorum scriptis diuturnitatem votis appetebant (1). Et revera si admirationem illam excipias, quam in omni hospite Romae degente Romana vetustas non poterat non excitare, unde Fulgentii nobilissima verba et apud Claudianum Urbis descriptio (De Cons. Stilich. III, 130),

Qua nihil in terris complectitur altius aether,

originem duxere, suum sibi quaerit Noster Capitolium in Stilichone, ante quem ad eam humilem adsentationem se demittit, ut se non pudeat huic duci amplissimos Romae viros posthabere (De bello Getico, 133). Non infitiabor patriam in Romam caritatem ab Alexandrino advena non esse expetendam, quippe cui canenti (In Rufin. II, 246)

. . . quocumque loco Stilicho tentoria figit, hic patria est,

sanctissimum istud nomen prorsus omni sensu destitutum

---

(1) Cfr. *Horat.* Od. III, 30, 6:

. . . usque ego postera
Crescam laude recens, dum Capitolium
Scandet cum tacita virgine Pontifex.

obversabatur: nil igitur mirum, si vel corruptissima aetate Statius in vitam revocet Oplei et Dimantis episodia (Theb. X, 350) nec non Meneceum (ib. 689 sq.) pro patriae incolumitate se devoventem; Claudianus contra, a quo luculentam segetem in res suas derivavit, nihil a Statio hauriat praeterquam adsentandi libidinem, plerumque sordibus inquinatam, interdum ad ridiculum usque provectam, uti in Laud. Serenae reginae, 86:

Quamcumque per herbam reptares, fluxere rosae.

Quae quum ita sint, fieri non poterat, quin epicum poema Claudiani aetate cum propter rei vere dignae inopiam, tum propter poetarum penuriam, qui natura sua valerent, in meram styli exercitationem desciscceret, quemadmodum praestitit Noster, suam materiam ex mythologia, quum aliunde non suppeditaretur sumere coactus, atque cum optimis ausus in certamen venire.

Interea pro se quisque mihi acriter intendat animum, ad illam felicissimam rerum, nisi temporum, conditionem, qua usus sit Noster. Qui in peregrina regione oritur, Alexandriae nempe, celebri quondam urbe, atque eruditissimis hominibus liberalissimisque studiis affluenti, unde rerum et verborum suppellectilem Claudianus comparare sibi potest; dehinc, ut in latino sermone totum se abderet, necessitate ferme compulsus vetustiores eosdemque puriores fontes adeundi, temporum vices minus perpetitur, quibus corruptum orationis genus provenerat, quum ingenuae litterae a pristina simplicitate decedentes candorem suum cum ipsa civium libertate amiserant. Ad haec tenendum, Nostrum poetico generi unice indulsisse, quod ex communi eruditorum sententia multo magis quam soluta oratio sartumtectum servatur, quippe minus barbaricis vocabulis, externis locutionibus obnoxium; uti in Apollinari Sidonio conspicere fas est, cuius carmina longe detestabili prosa potiora. Nihilominus, vel si dicendi rationem tantum spectes, num poematis exemplar prodidit Noster, quod nimias admirantium laudes concitaret? Profecto is non sum, qui a Claudiano eam in dicendo venustatem et munditiem expetam, quae in praestantissimis

reipublicae scriptoribus potissimum enitet; neque urbanitatem, qua insigne poeseos decus, Virgilius excelluit; neque, ut parcissime dicam, Ovidii copiam, facilitatem atque elegantiam: non me enim fallit, genus dicendi publicos mores imitari (1). Verum poterat Noster in Proserpinae Raptu, tam breve curriculum emensus, quae deterioris aevi notam produnt, castigare; huiusmodi sunt: imaginum, comparationum, figurarum troporumque copia luxuriari; immodicas anthiteses, ac descriptiones inserere; inanibus locis bacchari, nimio tumore turgescere, artificium in scribendo quaerere, philosophicas doctrinas ostentare; sententiolis lascivire. Quae quidem omnia, aliaque id genus vitia, quibus permotus Bernhardy (Lat. Liter.) poema iuvenilibus Claudiani annis iniuria adscripsit, haud in magno ponam discrimine (quippe partim illi aetati referenda, ocius decrescente in dies politioris humanitatis cultu, quam Athenis vel Byzantii; partim poetae Alexandrino genere tribuenda), si saltem Noster inveniendi facultate opus suum commendasset; quae contra tam exigua suppetit, ut non iam poema, verum proprie fontium expilationem arguat, ubi superiorum vestigia undique congesta permiscentur, ac lacunosas partes vaniloquentia, quodam quasi velo, obtendat. Si autem cuique suus est color proprius, quo praesertim censetur, quum videas nullam huic operi inscriptam faciem, quin omnino Claudianum proscindam, non dubito affirmare eius poema eamdem imaginem exhibere ac nummum nulla signatum nota, de quo ambigis, quanti faciendus sit.

Non igitur in Proserpinae Raptu, meo quidem iudicio, praecipuam sibi laudem quaesivit Noster; sed in caeteris carminibus contendo melius ipsius ingenium, idemque suis virtutibus ac vitiis praeditum, enitere. Claudianum nempe revera poetam praedicabis, tot fugientes fallentesque rerum imagines notantem, quum Alectum tibi exhibet, quae

> Obstantes in tergum reppulit angues
> Perque umeros errare dedit. — In Ruf. I, 42 (2),

---

(1) *Luc. Seneca*, ep. ad Lucil. 114.

(2) Fontes, quos in medium protulit Ieep ad h. l. (II, p. 74, praef.), magis magisque Claudiani praestantiam hic ostendunt.

vel quum floridam illam descriptionem Noster expromit, ubi prorsus suo se ingenio relinquit (ib. 70):

Ceu murmurat alti
Impacata quies pelagi, cum flamine fracto
Durat adhuc saevitque tumor dubiumque per aestum
Lassa recedentis fluitant vestigia venti;

vel quum regalem fastum agrestis vitae simplicitati opponit, et suavi quadam idyllii voluptate te perfundit, ad quod mire suus eum inclinabat animus (ib. 205):

Tibi quaerit inanes
Luxuries nocitura cibos; mihi donat inemptas
Terra dapes. Rapiunt Tyrios tibi vellera sucos
Et picturatae fucantur murice vestes;
Hic radiant flores, hic prati viva voluptas
Ingenio variata suo. Fulgentibus illic
Surgunt strata toris; hic mollis panditur herba
Sollicitum curis non abruptura soporem.
Turba salutantum latas tibi perstrepit aedes;
Hic avium cantus, labentis murmura rivi.
Vivitur exiguo melius.

Commode insuper versibus effinxit (De III cons. Hon. 29):

Ille coruscanti clipeo te saepe volentem
Sustulit arridens et pectore pressit anhelo
Intrepidum ferri, galeae nec triste timentem
Fulgur et ad summas tendentem bracchia cristas,

qua quidem in re ita est versatus Noster, ut licet Homericam picturam Astyanactis atque Hectoris aliis coloribus refingere fortasse sibi voluerit, omnes tamen poetae numeros obiisse videatur. Omnino autem suus et magis nativus apparet Noster, sive Veneris sedem Cypri adumbrat, ubi ingenium periclitatur, eo tamen fuco illitum, quem sequior illa aetas superinduxerat (De Nupt. Hon. et Mar. v. 49 sq.); sive arborum amores festivo candore distinguit (ib. 65):

Vivunt in Venerem frondes omnisque vicissim
Felix arbor amat, nutant ad mutua palmae
Foedera, populeo suspirat populus ictu
Et platano platanus alnoque assibilat alnus (1);

(1) Cfr. *T. Tasso*, Ger. Lib. XVI, 16:
Par che la dura quercia e il casto alloro ecc.

sive facta dictis exaequat : « Tardaque sudanti prorepunt balsama rivo » (ib. 96). Nemo autem tam hospes in Claudiani lectione, quin memoret rosarum illam picturam absolutissima arte expolitam (ib. 247) :

Ceu geminae Paestana rosae per iugera regnant,
Haec largo matura die saturataque vernis
Roribus indulget spatio ; latet altera nodo
Nec teneris audet foliis admittere soles;

vel Cupidinem suspensum in oscula matris (ib. 116), vel Aponum, celebratissimum quidem carmen (Carm. min. XVI). Dives quaedam ac lepidissima ingenii vena praecipue occurrit, quum Venus super flores inclinata in antro recubat vitibus intexto, Nymphis proxime et Gratiis sub ingenti quercu requiescentibus (Epithal. Pall. et Celer. 10) :

Pennati passim pueri, quo quemque vocavit
Umbra iacent. Fluitant arcus ramisque propinquis
Pendentes placido suspirant igne pharetrae.
Pars vigiles ludunt aut per virgulta vagantes
Scrutantur nidos avium vel roscida laeti
Mala legunt donum Veneri flexusque secuntur
Palmitis et summas pennis vibrantur in ulmos.
Defendunt alii lucum Dryadasque procaces
Spectandi cupidas et rustica numina pellunt
Silvestresque deos longeque tuentibus antrum
Flammea lascivis intendunt spicula Faunis ;

quae quidem tabula mirum quantum nostrorum artificum ingenia exercuerit ! Quum autem Romanam historiam veluti in arctum contrahens, tibi ostendit Noster omnia vetusta imperia in Romanam ditionem concedere (De III cons. Stilich. 161), perinde ac si fati quibusdam legibus obtemperarent, non sane infra Plutarchi laudem subsistere mihi videtur, qui fortunam finxerat Assyriorum Persarumque regna deserentem, Macedones fugiente penna praetervolasse, Alexandroque ex humeris excusso, Aegyptum et Syriam transgressam, Carthaginem haud semel revisisse ; verum, traiecto Tiberi, Romae tandem suam firmavisse sedem (1). Quid autem, ut Claudiani ingenium penitus asse-

(1) V. *Bender*, Rom u. Röm. Leben in Alterthum, Tübingen 1879, I, 3.

quaris, non memorem hibernum Stilichonis per Alpes iter, quod tabula illa venustissima coronat ducis, qui pastorali sub culmine cervicem clipeo fultus iacet, interea dum (De bello Pollent. (Getico) 357)

« ignoto praeclarum nomine vultum
Rustica sordenti genitrix ostendit alumno. » ?

Quid tandem de VI cons. Hon. Aug. dicam, ubi Apollinem Hyperboreas aras lustrantem (v. 25 sq.), patremque Eridanum descriptum (146) reperias, aliaque tot poesis veneribus adspersa, ut Gesner, locupletissimus ille elegantiarum arbiter, magnificum praedicaret poema, et num finis inveniri magnificentior potuerit, dubitaret? Felix insuper in oratione sententiis distinguenda, inter quas, ne infinitus sim, recenseam « Tolluntur in altum (nequam homines) — Ut lapsu graviore ruant » (in Ruf. I, 22); « Cum vincamur in omni — Munere sola Deos aequat clementia nobis » (IV cons. Hon. 277); « Non quaerit pretium, vitam qui debet amori », (De VI cons. Hon., 610); « Diis proximus ille, quem ratio, non ira movet » (In Mall. Theod. cons. 227). Felix quidem in verbis callida iunctura serendis, uti « Seu coelum, seu Roma tonat » (De bell. Poll. 511); « Inque novos iterum revoluto cardine cursus » (De laud. Stilich. II, 475); in epiphonematis scite interponendis: « Talibus urgetur discors Aurora procellis » (In Ruf. II, 100); « Discite vesanae Romam non temnere gentes » (De bell. Poll. 647); postremo in quibusdam allegoricis personis; huiusmodi sunt: Honoris et Virtutis connubium, Victoria, Licentia, Pallor, Irae, Lacrymae, Metus, Discordia, Excubiae, Iuventus, Periuria, Fides, Iustitia, Avaritia, Ambitio, Fames, Egestas, Morbus, Livor, ad quarum imitationem Prudentius interdum se se composuit (1).

Quae quidem Claudianea excerpta operae pretium duxi tibi subiicere, humanissime lector, non porro ut anthologiam quamdam concinnarem, unde Claudiani iudicium dehinc eruerem, quia cum Nostri virtutes, tum vitia in universum constant, sive ex praestantioribus Historiis criticis,

(1) Cfr. *Ebert*, Gesch. der christl.-latein. Literatur, Leipzig 1874, 227.

quae nunc vel tironum manibus teruntur, sive ex innumeris ipsarum editionum prolegomenis. Si igitur nonnullos eosdemque conspicuos locos in medium attuli, ne mihi succenseas, quippe hac praesertim causa ductus fui, quod complures esse scio, qui modo nimiarum laudum pertaesi, modo Claudiani obiurgationibus deterriti, non ultra Proserpinae Raptum Nostri lectionem producunt, perinde ac si tota Alexandrini praestantia in hoc poemate consistat; caetera, Khunio mihi suffragante (1), non legunt, quia contemnunt; contemnunt autem, quia non legunt. Ipse contra censeo nostri poetae nomini, quem, ut recentiorum primum, ita veterum ultimum ex Sabellici sententia nuncupare queas, nos melius esse consulturos, si non ex Proserpinae Raptu potissimum, quemadmodum hactenus fontibus neglectis sunt plerique arbitrati, verum ex aliis carminibus dimetiamur, in quibus numquam ad tam humilem imitationem, quam in Raptu, sese demittens, naturae insitas dotes prorsus restinguentem, effigiem sui ingenii multo magis exculptam tradidit. Quare, ut tandem scribendi finem faciam, Claudianus in Proserpinae Raptu mihi in mentem revocat Silium Italicum, qui, quum in Virgili villam Neapolim secessisset, eius natale celebrabat et monimentum ut templum adibat (2); non eo tamen numero potuit esse, qui semper apud omnes sancti sunt habiti poetae, quoniam divinum illud ingenium, quo Aeneis afflata, non iam ea loca revisebat. At in caeteris operibus, adsentationis nota detracta, tam uberrimam factorum segetem reliquit Noster, ad archaeologiam, historiam, et philosophiam spectantium, ut si diligenter in eius studium incumbas, omnia ad illa, quae ars critica aetate hac nostra desiderat, revocans, fructus percipias, qui solertem dumtaxat atque acrioris iudicii virum expectant, ut ad maturitatem perducantur (3).

---

(1) *Io. Caspar Khunii* — Cl. Cl. de cons. Hon. Aug. Panegyr., Argentorati 1706, p. 22.

(2) *Plin. Iun.*, epist. III, 7 ad Caninium Rufum.

(3) Praetermissis studiis, quae ad carminum emendationem attinent, ne catalogum condere videar, nonnulla tantum hic subiiciam utilissima opera, quae investigandi rationem apprime edocere possunt, nempe:

Frid. Strunzius, de silva Hercynia ad ill. loc. Claud., Vitemb. 1717;
Hermannus von der *Hardt*, Claudiani et Musaei symbola illustria, 1798, qui tamen decoris modum non servavit;
E. Vogt, Cl. Claudiani carminum, quae Stiliconem praedicant, fides historica etc., Bonnae 1863;
Zeiss, Claudian u. das römische Reich von 359-408, Landshut 1863-64, 2ª Abtheilung Stilicho, Landshut 1864-65;
Schultz, de Stilichone et de fontibus Claudiani et Zosimi, Regim 1864;
Herm. Ney, Vindiciae Claudianeae, sive de Cl. Claud. fide histor., Marburgi Hassorum, 1865;
Steph. Gramlewicz, Quaestiones Claudianeae, Vratislaviae 1867;
Purgold, Claud. u. Sidonius, archäol. Bemerk., Gotha 1878.

DABAM AUG. TAURINORUM, MENSE IUN. AN. MDCCCLXXXII.

INDEX

INDEX

I.	— De poematis proemio	*pag.*	1
II.	— Pluto	»	4
III.	— Parcae	»	9
IV.	— Iupiter	»	11
V.	— Proserpina	»	16
VI.	— Ceres	»	23
VII.	— De Venere, Minerva et Diana	»	29
VIII.	— De reliquis poematis personis	»	33
IX.	— Orationes	»	37
X.	— Similitudines	»	43
XI.	— Descriptiones	»	46
XII.	— De Cl. Claudiano iudicium	»	50

Errata-Corrige

Pag.	2,	lin. 14	aetate	aetates
»	6,	» 23	vhom	whom
»	»	» 25	Titaniam	Titanian
»	»	» 26	warr' don	warr'd on
»	9	» 23	et Gesneri	Gesneri autem
»	13	» 12	excutit	excudit
»	17	» 10	presaga	praesaga
»	»	» 11	inopinata	inopinato
»	»	» 18	inter sorores puellari more lusitat	inter sorores Cereris filia p. m. l.
»	19	» 6	Phlegrae tumultus	« Phlegrae tumultus »
»	»	» 15	menti	mentis
»	»	» 17	immanes. Erebi	immanes Erebi
»	20,	ult. lin.	exibuit	exhibuit
»	21,	lin. 30	noncupaverim	nuncupaverim
»	30	» 13	mensionem	mentionem
»	32	» 4	misteriis	mysteriis
»	38	» 3	praecepto abusus	praecepto Noster abusus
»	»	» 12	sententias	placita
»	44,	pen. lin.	eadem	eademque
»	49,	lin. 1	exiit	exit

INDEX

Dello stesso Autore:

Sui frammenti dei carmi soloniani — Saggio di studi (estratto dalla *Rivista di filologia ed istruzione classica*, anno VI, fasc. luglio-ottobre 1877) — Ermanno Loescher.

Solone — Saggio critico-biografico (estratto dalla *Rivista di filologia ed istruzione classica*, anno VII, fasc. novembre-dicembre 1878 e gennaio-febbraio 1879). Torino 1879 — Ermanno Loescher.

Del Fato nelle poesie omeriche — Torino, V. Bona, 1879 — Ermanno Loescher.

De Cl. Claudiani fontibus in poemate De Raptu Proserpinae. Aug. Taurinorum, Herm. Loescher, 1881. Ex ephemeridibus, quibus titulus *Rivista di filologia ed istruzione classica,* anno IX, fasc. gennaio-febbraio — Ermanno Loescher.

Morfologia omerica di W. Ribbeck, tradotta sulla seconda ediz. originale. Torino 1882 — Ermanno Loescher.

This book should be returned t
the Library on or before the la
stamped below.
A fine of five cents a day is inc
by retaining it beyond the spe
time.
Please return promptly.

DUE MAY 5 1915

3036140

CANCELLED

SEP '70 H